Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 4.



Fig. 3.



Gottlieb Giese del. J. F. Schröter sculps. Lp

DE ORIGINE PARIS QUINTI NERVORUM CEREBRI MONOGRAPHIA.

AUCTORE
GUILIELM. HERM. NIEMEYER
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE.

Fig. A.



Fig. B.



HALAE,
IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI HALENSIS.
MDCCCXII.

PATRI OPTIMO

AUGUSTO HERMANNO
NIEMEYERO

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS
CANCELLARIO ET RECTORI,
THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI
PUBLIC. ORDIN.
SEMINARII PAEDAGOGICI ORPHANOTROPHEI ET PAEDAGOGII
REGII DIRECTORI,
REGII ORDINIS CORONAE GUESTPHALIAE EQUITI
ETC. ETC.

AD CINERES USQUE PIE COLENDO

HASCE

STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

IN

PUBLICUM

MAXIMAE REVERENTIAE,
GRATISSIMIQUE ANIMI MONUMENTUM

OB

IMMORTALIA IN SE MERITA, CUM ARDENTISSIMIS
PROSPERITATIS ET FELICITATIS

VOTIS

SACRAS ESSE CUPIT

AUCTOR.

Quam eruditorum examini verecunde ſubiicio monographia, cuius argumentum ſubtiliorem aliquam cerebri anatomes partem tractat, primum tamquam inauguralis diſſertatio, illuſtri Medicorum in Academia Fridericiana Collegio oblata eſt. In elaboranda tali diſſertatione duplicem ſcriptor ſibi proponere poteſt finem. Primum quidem ab iis, qui arti ſalutari operam ſuam impendere conſtituerunt, laudabili maiorum more, poſtulatur, ut publicum edant, diligentiae profectuumque documentum, quo conſtet, non indignos eſſe, qui tamquam e patria poteſtate dimiſſi, iure ſibi tributo uti, vireſque ſuas in curandis mortalium morbis experiri poſſint. Iam, qui nihil aliud ſpectant, facili negotio argumentum ſcriptionis invenient, cum, quidquid vel fortuito ſe illis obtulerit, ſatis commodam praebere poſſit opportunitatem, largamque materiem, quae legerint, audiverint,

didicerint redigendi et tamquam ſui laboris fructum praeceptorum manibus tradendi.

At vero difficilius aliquid ſuſcipiunt, qui, non tam crambem, ut aiunt in proverbio, bis coctam, recoquere, ſexcenties repetita iterum repetere, et ſatis ſuperque pertractatis, nil niſi novam formam induere ſtudent, quam, quae in ſcientia cui vitam ſuam ſacrarunt, ſibi obſcuriora, et ſeveriori examini ſubiicienda viſa ſint, diligentius perſequi, et periculum facere allaborant, non tam aliorum veſtigiis inſiſtendi, quam ulterius etiam progrediendi. Quis enim non laetetur, ſi ad immenſum Aeſculapii templum, in quo exaedificando, per longum ſaeculorum decurſum, tot, tantosque viros occupatos videat, vel unum contulerit lapillum? Sed ardua res eſt nova proferre, iuveni imprimis parum exercitato!

Libere quidem profiteor, me iam dudum hoc ipſo deſiderio flagraſſe. At argumentum primae elaborationis quaerens, non immemor

HORATIANI

„SUMITE MATERIAM VESTRIS QUI SCRIBITIS AEQUAM

„VIRIBUS

diu multumque haesitavi. Etsi enim, vel summorum virorum testimonio edoctus, persuasissimum mihi habebam, in τεχνῃ, ut ait HIPPOCRATES, μακρῃ, tantaque vitae brevitate, multa adhuc superesse ad inveniendum, explicandum, rectiusque demonstrandum, meis tamen viribus parum confisus, plurima, in quibus eas exercere constitueram, iisdem *non aequa* esse reperi. In ista vero animi mei haesitatione me converti ad illustrissimum praeceptorem meum REILIUM, eumque praecibus agressus sum ut mihi, quod *Ipse* humeros meos ferre posse iudicaret, benevole imponeret. Qui quidem, quae summa eius est in disciplinae suae alumnos humanitas, auctor mihi fuit, ut novam susciperem, de origine nervi quinti disquisitionem, immo, quod magis est, conatus meos adiuvit, institutionibus, consiliis, admonitionibus, mihi numquam defuit, ceterum *ut ipse vires pericli-*

tarer, ſtrenue praecepit. Abſoluto opere, de honorifica Viri Cl. adprobatione, tamquam de fauſto omine, me aliis quoque tentamina mea probaturum eſſe, magnopere laetatus ſum. Ab ipſo autem provocatus ad elaborandam verſionem libelli germanicam, *Repertorio Suo* (Archiv für die Phyſiologie) inſerendam, quidquid mihi celeberrima hoc ipſo tempore noſocomia Viennenſia frequentanti otii relictum fuit, in novo laboris examine conſumſi.

Quae quidem praeceptoris celeberrimi ſingularia in me merita, ut dum vivo ſpiroque pio animo agnoſcam, ita Vos, *Lectores benevoli*, enixe rogo, ut quidquid peccatum fuerit iuveni condonetis, cui ſi *vires* adhuc deſunt, certe in dies proficiendi, et melius olim de ſcientia, cui totum ſe tradidit merendi *voluntas* numquam deerit. Valete.

Scripſi *Viennae*,
Calendis Decembris MDCCCXI.

DE

ORIGINE PARIS QUINTI NERVORUM CEREBRI.

PARS PRIOR HISTORICA.

§. I.

Introductio.

Dum me accingo, quas de quinto nervorum encephali pare, pro virium mearum modulo inſtitui disquiſitiones, artis peritorum manibus tradere, haud mihi alienum videtur ab inſtituti mei ratione, ea lectoribus tamquam in conſpectu proponere, quae ſuper hoc argumento ab anatomicis tam antiquioribus, quam noſtro tempore celeberrimis, vel diſputata ſunt vel conſtituta. Ego quidem, cum hanc potiſſimum tractandi materiam mihi ſumerem, primo loco non tam libros evolvendos quam naturam ipſam explorandam eſſe, exiſtimans, viamque *αυτοψιας* ingreſſus, omnem quam nactus ſum opportunitatem, accuratius quidquid ad hanc rem pertineret inſpiciendi, arripui. Deinde me ad ſcriptorum de hoc argumento opera converti, et criticam rationem ſequutus, quae a recentioribus tamquam nova et inaudita prolata ſunt cum iis comparavi, quae in antiquioribus leguntur.

§. 2.

Obſervationes generaliores.

Iam primum, quicumque anatomiae hiſtoriam attento animo inde a primis artis initiis perſcrutatur, facile intelligit, ſyſtema nervoſum, ab omnibus qui ſibi nomen pepererunt, pro obiecto accuratioris habitum eſſe perſcrutationis, eiusque maximi momenti, tantis tamen difficultatibus impediti, ut vel ſagaciſſimi ad finem indagationis perveniri poſſe deſperaverint. Praeſertim vero *ſtructura cerebri* et *origines nervorum* tam imperfecte, ne dicam falſe explicatae ſunt, ut et noſtris temporibus, poſt innumeras cadaverum diſſectiones, ſi vel unicam partem novae disquiſitioni ſubiicias, te nova inventurum certus eſſe poſſis. Illuſtre nobis ob oculos verſatur REILII Viri Clariſſimi exemplum, qui, cum eo, quod ſummum in ipſo eſt acumine, novam ſuſciperet de ſtructura cerebri inquiſitionem, vulgarem huius organi deſcriptionem tam parum probandam eſſe cenſuit, ut novum fere organon reperiſſe videri poſſit. Non minor eſt veterum *de origine nervorum* opinionum diverſitas. Prorſus negat unus quod alter oculis ſuis vidiſſe contendit. Sunt, ut exemplis utamur, qui medullam ſpinalem nervorum principium eſſe dicant, cui quidem ſententiae nuper *Gallius* quoque calculum adiecit, medullam oblongatam usque in lobum anteriorem cerebri producens. Alii contra ullum e cerebro ſive e cerebello nervum oriri negant. Alios videas nervorum origines e ſubſtantia cerebri cinerea, alios e membranis cerebrum involuentibus, derivantes. Aliter ſentiunt qui vel e

glandula pineali, vel in ponte, vel in corpore calloſo, vel in cavitate cerebri, vel in ſingulis ventriculis, ut tertio praecipue vero quarto, vel in ſepto cerebri medio, centro ovali, vel denique in thalamis, locum originis nervorum reperiſſe ſibi perſuaſerunt. — Iam quidem, ſi de cauſis tantae opinionum diverſitatis quaeritur, in ipſa nervorum et cerebri natura difficultatem poſitam eſſe patet. Alia vero mihi quaerenda eſſe videtur in ratione ac modo, quo anatomici inquiſitiones inſtituerunt. Arbitrariis nempe diſſectionibus iisque horizontalibus cerebri ſtructuram indagare volebant, quibus potius organa cerebro intulere, quam ad interiorem organiſationis intelligentiam pervenere. Nemo negabit, eos hac in re tam diligenter et acurate operam ſuam collocaſſe, ut MECKELIUS ipſe, inter anatomicos ſui temporis celeberrimus, fateatur 1), „*difficile eſſe aliquid ad cerebri ſtructuram addere*" Ipſe tamen addit, „*niſi nervorum origines excipias.*" Si veteres evolvas anatomicos, iſti de vera nervorum origine ne mentionem quidem faciunt, locum tantum indicantes, in quo nervus in cerebri baſi aut in medulla oblangata apparet. Recentiores phyſiologi, cum intelligerent hanc anatomiae partem iuſto magis eſſe neglectam, artis anatomicae magiſtros excitarunt ad rem tam obſcuram novis inquiſitionibus illuſtrandam. Sic HALLERUS 2): „*nervos*, inquit, *longiſſime abeſſe a perfectione, neminem de principiis illorum acuratiori ſtudio definiendis cogitaſſe, dum ta-*

1) Vid Memoires de l'Acad m. de Berlin. An. 1765. p. 91.
2) In novis commentariis Goettingenſibus. Volum. II. p. 2.

men haec dignitas rei luculentiſſime demonſtret." Idem confirmat BONNETUS [3]): "*De toutes les parties du corps humain, les nerfs ſont celles dont la connoiſſance intéreſſe le plus le philoſophe. Ils ſont pour ainſi dire l'entermède qui unit l'ame au corps, et par lequel elle agit, ſur différentes parties de ſon corps. Mais préciſement parceque les nerfs touchent de plus près à l'ame, leur ſtructure paroit plus profondement cachée.*" — CAMPERUS vero in epiſtola illa ad *Albinum* promittit, ſe ipſum originem nervorum exhibiturum, "cum nullibi accurate tradantur nervorum origines." Tantorum virorum auctoritate, ipſaque rei gravitate admoniti, anatomiae doctores ſummo in hanc rem ſtudio incubuere, inventaque ſcriptis mandavere. Eos tamen metam nondum attigiſſe, ipſorum diſſenſus luculenter demonſtrat.

§. 3.

Vetuſtiſſimorum doctorum ſententiae.

Haec in univerſum monuiſſe ſufficiat! Iam paulo diligentius hiſtoriam de quinto nervorum pare, imprimisque quid de eius origine et primo proceſſu usque ad diviſionem in tres ramos auctores docuerint, perſequamur, initium facientes a ſummo HIPPOCRATE. Is quidem ſyſtema nervorum plane ignoravit, nervos, tendines ac ligamenta confudit, eaque nunc ſub nomine *τονων* comprehendit, nunc *νευρα* appellat, multo minus de origine eorum quidquam praecipit. — Sic et PLATONEM, quamquam ipſe

3) Oeuvres. Tom. IV. P. II. pag. 229.

iam meliorem de ſyſtemate nervoſo, praecique vero de cerebro et medulla ſpinali notitiam habuit, ſaepius, tendines, nervosque confundentem invenimus. Non enim, uti nonnulli volunt, ſub nomine *επιτονων*, nervos ſpeciatim intelligit, cum ſaepius et tendines (*νευρα*) hoc nomine inducat.

Aristoteles iure inventor nervorum eorumque originis nominandus eſt. Hic quidem primus hanc originem in *cerebro* eſſe quaerendam contendit, et de illis ſub nomine *πόροι του έγκεφαλου* diſſeruit. Falſam enim cum Sprengelio [1]) V. Cl. ſententiam eorum puto, qui contendunt, Aristotelem ſub nomine *νευρα* nervos intellexiſſe, originemque eorum a *corde* derivaſſe, cum potius hoc ſub nomine tendines intelligat, quos quidem a corde originem ducere autumat [2]). Neque Soemmeringii ſententiae fidem tribuo, Aristotelem cordis dignitatem perſpicientem indicare voluiſſe, hoc mediante cerebro nervorum principium eſſe [3]). — De phyſiologia eorum nihil intelligens, ſenſationemque a corde derivavit. Mirandum autem eſt quam maxime, virum, qui de nervis tam egregie et multo melius, quam omnes qui ante eum vixerunt, diſputaverit contra Platonem, nexum medullae ſpinalis cum cerebro omnino negaſſe,

---

1) Vid. C. Sprengelii opus abſolutiſſimum quod ſub titulo: Verſuch einer pragmatiſchen Geſchichte der Heilkunde edidit Th. I. pag. 320.

2) Hiſtor. animal. Lib III.

3) Soemmering de Baſi. Encephali ec. (in Ludwig Scriptor. neurologic. minor. T. II.) Lib. I. Adnotat. 30. pag. 6.

et utramque partem, tam ſtructura, quam functione inter ſe diſcrepantem iudicaſſe.

§. 4.

Schola Alexandrina.

Non niſi pauca nobis e ſcriptoribus ſuperſunt, qui Alexandriae, in ſtudium medicum incubuere. Amiſſis eorum ſcriptis, ex uno GALENO omnia petenda ſunt, quae ab illis docebantur. Quod eo magis eſt dolendum, cum alias conſtet, eos in arte anatomica admodum exercitatos fuiſſe. Illi nempe iam cadavera humana, adeoque ſi CELSO fidem tribuere volumus, homines viventes diſſecuere, etſi haec vix pro veris habenda ſunt. Inter omnes vero GALENUS de HEROPHILO et ERASISTRATO mentionem facit, qui ſub imperio PTOLOMAEI primi anatomicis ſtudiis operam navarunt. HEROPHILUS, quem FALLOPPIA in rebus anatomicis infallibilem eſſe contendit, primus nervos organa ſenſationis et motus eſſe cenſuit, ita quidem, ut nervi ex cerebro et medulla ſpinali his functionibus praeſint, alii vero coniunctioni oſſium et muſculorum[1]). ERASISTRATUS nervos e ſubſtantia cerebri originem ducere docuit. Primum quidem, admodum iuvenis, ſibi perſuaſerat, nervos a membranis cerebrum involuentibus oriri [2]), iſti vero ſententiae maturiori aetate ſe abdixit eamque et refutavit.

§. 5.

---

1) RUFUS de appellatione partium Lib. II. pag. 65.

2) Teſte GALENO in Placitis HIPPOCRATIS et PLATONIS Lib. VII. Cap. III.

§. 5.

Marinus.

Inde ab aetate horum virorum usque ad GALENUM, neminem anatomicorum invenio, qui memoratu dignus ſit praeter MARINUM, in quo laudando multus eſt GALENUS, et ex cuius ſcriptis ipſe multa hauſiſſe videtur [1]). MARINUS *olfactorio* et *quarto* omiſſo, *auditorio* vero et *gloſſopharingeo* ad aliud nervorum genus relatis, ſeptem ſtatuit paria, cui ſententiae GALENUS et tota anatomicorum cohors, paucis exceptis, usque ad WILLISII tempora acceſſit.

§. 6.

Galenus.

Venio nunc ad ipſum GALENUM, ſimulque ad ſpecialiorem quinti nervorum paris hiſtoriam. In huius enim viri multis nominibus praeclariſſimi ſcriptis, primum de quinto pari ſermo eſt, quamquam nec MARINO huius nervi ſtructura plane ignota fuerat. Continet autem omnia fere quae de hoc nervo reliquit GALENUS, tum nonus *de uſu partium* liber, tum eiusdem opuſculum *de disſectione nervorum ad tirones.* GALENUS quidem, aliorum ut ipſe dicit ſententiam ſequutus, nervum noſtrum quintum in duo paria diſpeſcuit eiusque ramificationes ſub coniugatione tertia et quarta deſcripſit. Haec tamen deſcriptio admodum eſt imperfecta, et a naturae veritate aliena. Quod ad originem huius nervi, nihil de ea dicit, niſi multis eum

1) GALENUS de adminiſt. anatomic. Lib. II. Cap. I.

radicibus e cerebro originem ducere. Mihi tamen videtur, eum bene intellexiſſe, nervum e duabus diſtinctis portionibus oriri, portionemque duram eius nervi ſub coniugatione quarta compreheniſſe. Patet hoc ex deſcriptione primi decurſus quartae coniugationis [1]), neque hoc mirandum eſt, cum ad illam duplicem radicem inveniendam, vel rudis diſſectio ſufficiat.

§. 7.

Andreas Veſalius.

Progrediamur ad ANDREAM VESALIUM [2]). In quo legendo primum non mirari non poſſum, hunc immortalem recentioris anatomiae auctorem, — cuius ſummum meritum in eo poſitum eſſe exiſtumo, quod primus fuerit, qui iudicio critico GALENUM adiret, eiusque falſa et naturae non congruentia dicta, quae qui poſt eum extiterunt tamquam oracula admirabantur, ſtrenuo examini ſubiiceret, adeoque impugnaret, — hunc inquam, ne a veterum ordine recederet, non niſi ſeptem paria agnoviſſe, quamquam ipſe concedat [3]) plura numerari poſſe. — De tertio pari (noſtro

1) GALEN. de diſſectione nervorum Cap. 5. Quarta vero nervorum e cerebro provenientium coniugatio paulo iis durior, poſt exortum ſtatim cum tertia permiſcetur, ſimulque praetergreditur, primum quidem craſſam ipſam cerebri membranam, poſtea vero, ipſum etiam capitis os, deinde rurſus ad oris palatum ſecedit.

2) ANDREAE VESALII de humani corpor. fabrica Lib. VII. Baſiliae 1555.

3) l. c. Lib. IV. Cap. 2. p. 515.

quinto) quod primus tabulis aeneis, a TILIANO pictis, illuſtravit [1]) dicit [2]), a duplici radice principium ſumere, altera quidem craſſiore, altera tenuiore et duriore, quae neque in ipſo exortu neque etiam in progreſſu craſſiori radici commiſceatur. Quas quidem radices ita diſtare contendit, ut verius graciliorem hanc radicem peculiare par quam tertii paris portionem haberi velit. Quem vero nervum *Veſalius* ſub illa portione tenuiore deſcripſerit, adhuc dubium eſt. Nonnulli, inter quos eminet MECKELIUS [3]) contendunt, *Veſalium* ſub illa duriore portione ramum primum quinti paris intellexiſſe, alii contra, ut FALLOPPIA [4]), MORGAGNIUS [5]) et SOEMMERINGIUS [6]) disputant, ſub portione illa dura et parva nervum patheticum deſcriptum eſſe. Cui quidem poſteriori ſen-

---

1) l. c. Lib. IV. fig. I. et II.

2) l. c. Lib. IV. Cap. VI. pag. 519.

3) MECKEL de quinto pare nervor. cerebri. Goettingae 1748. Sect. I. §. V. Dum Galenum acerbe refutat, quod dixerit tertium par tum demum in duos dividi ramos, ubi duram matrem perforavit, in hunc incidit errorem, quod aliam originem ex cerebro primo ramo quinti paris, qui illi eſt radix gracilior tertii paris, quam tertio huius ramo, quem craſſionem tertii paris radicem vocat, eſſe putet, atque primum quinti paris noſtrum ramum, pro peculiari eſſe numerandum.

4) A. FALLOPPIA dum de nervo pathetico diſſerit, a VESALIO ob modeſtiam, ne numerum ab aliis anatomicis conſtitutum turbaret, pro diſtincto nervo non habetur, ſed pro minori propagine, et tertio pari adnumeratur. Obſervat. Anotom. pag. 403.

5) MORGAG. Epit. anatom. XV. §. 45.

6) SOEMMERING de baſi encephali §. 51.

tentiae, cum ex deſcriptione originis radicis tenuioris, tum vero eo quod VESALIUS ipſe in reſponſione ſua ad FALLOFFIAM fateatur [1]), ſe ramificationem illius nervi iuſto maiorem delineaſſe, maior auctoritas acceſſit.

§. 8.

Gabriel Falloppia ſive Falloppius

Praeter ceteros vero huiusce temporis anatomicos GABRIELI FALLOPPIAE [2]) ſumma debetur laus, qui cum aſſidua induſtria et ſingulari dexteritate cadavera perſcrutaretur, in deſcriptione tertii paris noſtri quinti plane a reliquis anatomicis diſſidet, et quod illi pro gemino pari, tertio quidem et quarto, habuerant, unum tantum eſſe iudicat. Nam, ut ipſius verbis utar, „*quamvis origo iſtius nervi videatur pluribus chordis, aliquot quidem, mollioribus, et aliquot magis durioribus conſtare, tamen cum una ſit atque uno ex laco orta, et unica tantum in ſede duram membranam perforet, non eſt quod ipſum nos diſtinguamus.*" Primus etiam fuit, qui hunc nervum iterum non in duos ſed in tres potius ramos dividendum eſſe cenſeret, videlicet in unum qui ad oculum, alterum qui ad faciem, tertium qui ad linguam feratur. Optime etiam pro ſui temporis modulo originem et primum decurſum huiusce nervi deſcripſit. Tertium par ſatis ampla origine ſupra ſecundum exortum a media fere cerebri baſi, multis ex partibus

---

1) VESAL. exam. obſervat. FALLOPPII pag. 303.

2) GABRIELIS FALLOPPIAE Mutinenſis opera omnia. Francofurti 1600. edit. pag. 402 et ſeq.

iisdem tamen coniunctis conſtans, dura matre unico ductu perforato in medium ferme plexum retiformem, in animalibus in quibus adeſt incidit. Statim autem cum extra membranam eſt, in tres ramos dividitur, de quibus ſupra iam mentionem fecimus.

§. 9.
Bartholomaeus Euſtachius.

Bartholomaeum Eustachium, etſi nullam paris quinti deſcriptionem nobis reliquit, originem eius optime cognoviſſe, vel ſumma eius in arte anatomica fama veriſimile redderet. Ex tabulis [1]) autem elegantiſſimis et pulcherrimis, poſt mortem eius editis [2]) luculenter apparet.

§. 10.
Realdus Columbus.

Realdus Columbus [3]) cum Galeno ac Vesalio tertium nervorum par, oriens e duobus principiis deſcribit, quo ſub nomine quarti paris nervorum noſtrum *palatinum* et *lingualem* comprehen-

---

1) Bartholomaei Eustachii tabularum anatomicarum editio *Albiniana*. Lugd. Batav. 1744. Tab. XVIII. et XIX.

2) Tabulae illae iam anno 1552 ſub eius auſpiciis delineatae, — primum a Maria Lancisio Amſtelodam 1721 tum quidem a Caietano Petri Alini Romae 1740, optime vero a celeberrimo Albino editae ſunt.

3) Realdi Columbi Cremonenſis de re anatomica Libri XV. Francofurti 1593.

dit [1]). Primus eſt qui ramum *maſſetricum* a quinto noſtro pari ſeiungit, eumque ſub pari octavo deſcribit [2]), quod noviſſimis temporibus iterum fecit PALETTA [3]). Ex deſcriptione enim ramificationis nervi octavi apparet, PFEFFINGERUM [4]) falſe disputaſſe, cum ſub illo pari par noſtrum ſextum intelligi velit.

§. 11.

Auctores diverſi poſt Galenum et Veſalium.

Qui poſteris temporibus ſcripſere anatomici, partim GALENI atque VESALII opiniones, partim meliores FALLOPPIAE ſententias ſequuti ſunt, partim in novis iuveniendis laborarunt, quae cum falſa eſſe uſus docuerit ne mentione quidem digna ſunt. Quod ad originem, nervum noſtrum quintum mox ſub uno pari deſcribunt, mox vero in duo et tria paria pro arbitrio ſuo dilacerant. In his commemorandi ſunt VIDUS VIDIUS [5]), ARCHANGELUS PICOLHOMINIUS [6]), CASP. BAUHINUS [7]), IOANNES VES-

---

1) l. c. Lib. VIII. pag. 359.

2) l. c. Lib. VIII. pag. 365.

3) PALETTA de nerv. crotaphytico et buccinatorio (in LUDWIG ſelect. ſcriptor. nevrologic. minor. Tom. III. pag. 63.)

4) PFEFFINGER de ſtructura nervorum. Lect. II. §. 21.

5) VID. VIDIO Florentini de anatome corp. humani Lib. VII. Venet. 1591. Lib. III. Cap. II. pag. 58.

6) Praelectiones anatomicae Romae 1586. Lib. V. Lect. V. pag. 264.

7) Theatrum anatomicum. Francofurti 1621.

LINGIUS [1]), IOANN. RIOLANUS filius [2]), ADRIANUS SPIGELIUS [3]), IOANNES VAN HOONE [4]), DOMINICUS DE MARCHETTI [5]), C. BARTHOLINUS [6]), GERARDUS BLASIUS [7]), ISBRANDUS DE DIEMERBROECK [8]).

§. 12.
Th. Willisius.

Sequitur WILLISIUS [9]) vir sui temporis longe celeberrimus, qui maxima cum laude primo et quarto pare in numerum nervorum cerebri recepto, iustum nervo nostro locum assignavit et sub quinti nervorum cerebri paris nomine [idque ordinis seu positionis iure] recensuit ac descripsit [10]). Idem huiusce nervi origi-

1) In Syntagmate anatomico. Patavii 1647. pag. 177.

2) IOAN. RIOLANI filii opera anatomica. Paris 1649. in eiusque Anthropographia Lib. IV. Cap. II. pag. 264.

3) De human. corp. fabrica. Francof. 1632. Lib. VII. Cap. II. pag. 245.

4) In Microcosmo suo, qui reperitur in opusculis eiusdem anatomico-chirurgicis a. IOAN. GUIL. PAULI editis. Lips. 1707. pag. 162.

5) In anatomia. Patav. 1654. pag. 122.

6) In anatome THOMAE BARTHOLINI ex observat. aliorum et imprimis C. BARTHOLINI quart. renovat. Lugd. Batav. 1673. Lib. III. Cap. II. pag. 673.

7) Miscellanea anatomica hominis. Amstel. 1673. pg. 87.

8) Opera omnia. Ultraiecti 1585.

9) THOMAE WILLIS opera omnia. Genevae 1676. — Cerebri anatome cui accessit nervor. descriptio et usus studio THOM. WILLISII. Amstelod. 1664. pag. 214.

10) l. c. Caput XXII. pag. 113. et seqq.

nem depinxit. Ipſum audiamus! „*Quintum par infra priores nervos a lateribus proceſſus annularis a cerebello dimiſſi, trunco amplo et lato procedit; fibris hoc quidem plurimis, quarum aliae ſunt molles, aliae duriores, ſimul colligatis conſtat, adeo ut magnus ipſius caudis, prope originem nihil aliud ſit quam plurium nervorum faſciculus, quorum ſcilicet aliqui his partibus alii autem aliis impenduntur. Quod vero tot nervi tot variis ac invicem remotis deſtinati, uno tamen oriundi in eundem veluti faſcem colligantur, ratio eſt, ut in partibus univerſis quibus nervi iſti proſpiciunt, ſympathia et actionum conſenſus quidam conſervetur.*" — Cum autem dicit, truncum e lateribus annuli maioris procedentem, interdum iuxta ipſam originem, ſaepius tamen, dura membrana prius perforata, in *duos* ramos dividi, in maximum incidit errorem, quod eo magis mirandum eſt, cum ipſe in eadem deſcriptione dicat, ſimili fere ritu, in plerisque animalibus, nervum eodem fere modo dividi, exceptis tamen nonnullis, ubi ſub prima ſtatim origine in tres magnos ramos dividitur, quorum unus mandibulae inferiori, alter oculo ac naſo, tertius maxillae deſtinatur. Ad deſcriptionem accedunt adhuc delineationes [1]), quae cum nervos extra corpus et in planum expanſos exhibent, artem quidem diligentiamque produnt, at naturae veritatem cum non referant, vix medico uſum fructumque praeſtare poſſunt.

---

3) l. c. Cap. XXII. pag. 118. Tab. IX. et X.

§. 13.

Raymundus Vieuſſeus.

Raymundus Vieusseus in opere ſuo [1]), quod incomparabilem induſtriam, et auctorem prodit acutiſſimo ingenio praeditum, melius fuſiusque anteceſſoribus hunc nervum deſcribit. Maximam vero laudem in eo meretur, quod primus de plexu gangliiformi mentionem fecit, et tali modo novam quaſi partem, eamque maximi momenti noſtro adiecerit nervo, quod quidem mirari poſſis a Meckelio in praeclara diſſertatione ſupra laudata, non adnotatum inveniri. Ita vero originem quinti paris deſcribit [2]). „*Iſta nervorum coniugatio, truncis amplis e lateribus proceſſus a cerebello ad medullam oblongatam oritur. Haec pluribus fibris conſtat, quarum aliae ſunt molles, aliae duriores, et aliae ab aliis facile ſeparari poſſunt, licet ſimul colligatae ſunt, adeo ut uterque illius caudex prope originem nihil aliud ſit, quam faſciculus plurium nervulorum qui in diverſas partes inſeruntur. Quintae coniugationis nervos, interdum iuxta ipſam originem in duos truncos diviſos, craſſa meninx inveſtit, ſtatim atque os petroſum utrinque ſuperſcanderunt; eosque in faveola veluti ſacculo recondit, quem ipſamet in utroque calvariae latere pone receptacula ſellae equinae lateribus appoſita efformat, ubi inſignem in plexum gangliformem abeunt. Gangliformis autem huiusmodi plexus, craſſae meningis*

1) Raymundi Vieussei neurographia univerſalis cet. Lugduni 1684.

2) l. c. Lib. III. Cap. III. pag. 169.

interventu, ossi petroso utrinque firmiter adhaerentis, nerveae fibrillae, quae maximam partem carnosas fibras referunt, simul coalescendo, inter se varie colligantur ac implicantur, quod a natura ita comparatum fuisse videtur, ut inter diversas partes quibus prospiciunt, sympathia, seu actionum consensus quidam habeatur. " — Ceterum VIEUSSEUS in WILLISII errorem incidit, dum profitetur, nervum circa plexum ganglioformem in binos ramos maiores, anteriorem nempe et posteriorem dirimi. — Tabula aenea [2]) descriptioni addita, in qua secundum huiusce temporis morem, plexum illum ganglioformem, atque nervorum rumificationes, extra situm ex connexionem cum reliquis partibus, pingi curaverat, minus naturalem nobis praebet conspectum. Meliores quidem sunt tabulae illae, in quibus ortus eius ex cerebro describitur [3]), nullius tamen momenti, si eas cum recentioribus praecipue HALLERI, SOEMMERINGII et GALLII comparare velis.

§. 14.

I. B. Winslowius.

VIEUSSEUM fere sequutus est, vir de anatomia longe meritissimus singulari praesertim ακριβεια conspicuus, ita tamen ut errores VIEUSSENII evitare studuerit, IACOBUS BENIGNUS WINSLOW [3]). Sed iusto brevius pro materiae dignitate de hoc nervo, praecipue vero de eius origine disseruit. In eo quoque

1) l. c. Tab. XXII. pag. 175.

2) l. c. Tab. V. XIV. XV. XVII. Fig. I.

3) „*Exposition anatomique de la structure du corps humain* par I. B. WINSLOW." Amsterdam 1732.

errat quod dicat, plexum ganglioformem in ſinum cavervoſum inire, et ſanguine eius circumdari, quod a recentioribus ſatis refutatum eſt. Ceterum primus eſt, qui ei a principalioribus tribus eius ramis TRIGEMINI nomen dedit. Nervum ipſum his verbis deſcribit [1]). „*Ces nerfs ſont fort gros, ils naiſſent anterieurement des parties laterales de la protuberance transverſale de la moëlle allongée, par pluſieurs filets tres-collés enſemble qui forment deux gros troncs, un peu applatis, un de chaque côté. Chacun de ces troncs ſe porte vers la pointe de l' os pierreux voiſin, et perce la dure mere immediatement devant cette pointe, un peu au-deſſous du bord de l' extrémité, ou portion anterieure de la tente du cervelet. Il s'enfonce dans le ſinus caverneux du même côté, apres quelques attaches à la pointe de l' os pierreux, ou à une espèce d' os ſeſamoïde qui ſe trouve ſouvent à cette pointe, et après avoir donné quelques filets à la dure mere, il s' élargit d' abord dans le même ſinus et forme une espèce de Ganglion applati et irregulier, en manière de plexus. — Enſuite le tronc ſe diviſe en trois gros branches, plus ou moin applaties, qui traverſent le ſinus caverneux, étant fort attachées à ces filamens ſpongieux et baignent dans le ſang venal de ce ſinus cet.*" — Multo maioris momenti autem ſunt quae de *origine* huius nervi commemoravit [2]), quam quidem originem a corporibus pyramidalibus medullae oblongatae deducit. —

1) l. c. Tom. III. pag. 146.

2) l. c. Tom. IV. pag. 182. „*Ces deux nerfs ſont d' abord de gros troncs qui tiennent chacun leur origine principalement des parties laterales et poſterieures de la groſſe protuberance transverſale et un peu des corps olivaires et des corps piramidaux.*"

Ceterum MECKELIO [1]) aſſentiri non poſſum, indicanti, WINSLOWIUM hanc originem non retinuiſſe, cum in ſpecialiori nervi quinti pertractatione nullam huius originis mentionem fecerit. Specialiorem enim illam deſcriptionem nobis in tomo tertio, originem vero iſtam e corporibus pyramidalibus et olivaribus in tomo quarto operis luculenter tradidit, ubi certe hunc errorem revocaſſet ſi vere hoc tempore ipſi ſubortum fuiſſet de tali origine dubium.

§. 15.

I. D. Santorinus.

Venio nunc ad IOANNEM DOMINICUM SANTORINUM, cui in exploratione originis nervorum, ſi quid meum valere poſſet iudicium, principem locum aſſignare non dubitarem. Quo plauſo a doctiſſimis viris obſervationes eius anatomicae [2]), in quibus continentur ea quae huc pertinent, exceptae fuerint, nemo anatomicorum ignorat, cum in eis quam maxime commendandis auctores habeat, BOERHAVIUM, MORGAGNIUM, ALBINUM. HALLERUS „*in his*" inquit, „*obſervationibus anatomicum indefeſſum in difficillimis extricandis artificioſiſſimum et paene nimis perſpicuum ſe geſſit, ſi omnino hic aliquid nimii locum habeat*" [3]). SOEMMERINGIUS vero fatetur in diſſerta-

---

1) l. c. Lect. II. §. 31. adnotat. 1.

2) Obſervationes anatomicae IOAN. DOMINICI SANTORINI. Venetiis 1724.

3) HERMANNI BOERHAVII methodus ſtudii medici, emaculata et acceſſionibus locupletata ab ALBERTO AB HALLER. Amſtelodam. 1751. pag. 541.

tione de Basi Encephali „*iam per biennium labores ad cerebri fabricam pernoscendam impenderam, antequam de* SANTORINI *tabulis quidquam mihi innotesceret, parumque aberat, ut consilii mei me poeniteret!*" — Neque tamen admodum facile est veram SANTORINI sententiam intelligere. Ipsum enim post maiores in arte profectus de nonnullis dubitasse, quae in observationibus asseruerat, ex eo patet, quod in exemplari observationum anatomicarum quo ipse usus est, non pauca ad marginem adnotata inveniuntur, in quibus partim ante dicta novis argumentis magis confirmat, partim nova profert, reiectis prioribus. Haec omnia in opere a MICHAELE GIRARDI edito inveniuntur [3]). Maximum vero huius viri meritum in eo positum est, quod primus omnium originem huius nervi ex interiore cerebri substantia deduceret, quam quidem inquisitionem tam acurate instituit, ut nemo recentiorum, si hunc locum spectes, ei comparandus sit. HALLERUS vero, cum nihilominus veterem sententiam sequeretur, inde factum est, ut haud pauci de vera huius nervi origine a SANTORINO inventa, vel incerti, vel in errore remanserint. Tanta enim invaluerat Viri auctoritas, ut litterarum rem publicum in monarchiam potius converteret, in qua per aliquod tempus, non nisi uni ius decidendi competere videbatur. Cum autem quidquid SANTORINUS hac de re docuit summi sit momenti, ipsum autem opus

---

3) IOAN. DOMIN. SANTORINI anatomici summi septem decim tabulae quas nunc primum edit et explicat MICHAEL GIRARDI, Parmae 1775.

in paucorum manibus, non alienum ab inſtituto meo videtur, ea quae imprimis ad materiam quam tractamus ſpectant hoc quoque loco repetere [1]. „*Quinti nervorum paris originis difficilior multo inquiſitio atque inveſtigatio fuit, cum praecedentes anatomici intactam fere hanc partem reliquere. Non eam originem voco qua ex annulari protuberantia, ſeu Varolii ponte nervus is in faſciculum collectus prodit, verum eam unde eiusdem plurimae ac diverſae fibrae primo exoriuntur. Saepius ubi firmiora cerebra offendi, non ex uno prodire hiatu certo deprehendi, ſed tenuiorem fibram ſeorſum paulo ſupra emergere ac mox ceteris copulari, reliquas autem omnes uno tantum hiatu evadere; quae tamen non ab uno univerſae principio proficiſci videntur. Ex his namque faſciculis ſub extimo annularis protuberantiae fibrarum ſtrato, ex ima eiusdem parte exoriri videtur, cum nondum tamen conſtet utrum a productis crurum medullae oblongatae fibris ſurſum verſum reflexis, an ab eiusdem annularis protuberantiae interiore ſubſtantia exoriatur. Tertius autem earundem faſciculus, qui multo cortice annularis dictae protuberantiae mollior eſt, non ex eodem progigni loco, verum inferius diverſam longe nanciſci originem apparet. Hunc igitur, quoniam firmiorem nonnunquam inveni, diligenter proſequutus in intimiora, primum annularis protuberantiae ſeſe coniicere vidiſſe viſus ſum, tum a caeteris ſive transverſum ſive ſecundum longitudinem productis fibris diſcretum, infra eam ſe de*

---

1) l. c. Cap. III. §. XVI. pag. 64. et ſeqq. Idem et invenitur in l. c. MICHAEL. GIRARDI in explicat. Tab. II. pag. 16.

mittere obſervavi, atque eo usque ſum perſequutus, unde in interiorem medullae oblongatae caudicem coniectus fere inter Olivaria et Pyramidalia corpora locatus, quo demum pergeret, cum teuium fibrarum implexus, tum earundem mollitudo ne conſequerer omnino prohibuere. Utrum vero ex ſuperioribus medullae oblongatae demiſſis primum ſurſumque verſum poſtmodum reflexis fibris is ortum trahat, an ab inferioribus, in ſuperiora provectis, ſeu denique quadantenus a cinerea ſubſtantia, quae in olivarium corporum interiore parte perbelle diſpoſita eſt, non ſatis conſtat. " His verbis in exemplari ſupra memorato ſequentia adiecit a Girardo [1]) deſcripta et in vulgus edita. „*De quinti origine ac proceſſu duo mihi non levis ſane momenti monenda ſunt, alterum ad originem ſpectans, alterum ad iter. Etſi a diligentioribus, adverſae fibrae huiusce ſic ſaepe diſcretae ſunt, ut in binos faſciculos ſeparari facile poſſint: harum tamen faſciculum minorem non ab eodem cum caeteris exoriri loco certum eſt. Nam maior e deductis transverſis protuberantiae annularis fibris emergit, minor autem ab ulteriori loco procedens maiori quidem copulatur; quamquam harum principium in eiusdem cerebelli pedunculi longitudinem ab lateribus penetralium cerebelli emergat; qui ubi ad maiorem acceſſit, copulari quidem videtur, ſed revera ſic adiungitur, ut cum eodem procedens, diſtinctus tamen, mox eidem ſubiiciatur atque duram matrem ingreſſus, ex interiori latere, adiicitur, ut diverſum iter inſtituat, et diverſam naturam praeſeferat. Nam faſcicu-*

---

1) l. c. Explicat. Tab. II. pag. 16. et ſqq.

lus maior, mox post penetratam duram matrem in plexum conformatur, non equidem ganglioformem, sed retiformem potius, cui quaedam quasi carnosa natura late laxeque superinducta videtur, nostro interea, minorique fasciculo, neque huic maiori immixto, neque hoc plexu donato procedente. Ubi autem sic discretus, sic immutatus ex ovali calvariae foramine evasurus est, in plexum vere ganglioformem mutatur, ac postmodum in fasciculos discretus, in maxillae musculos, masseterem ac pterygoïdeos, praecipue inseritur." — Iam haec omnia quae anatomici sagacissimi industriae et acumini debemus, tam sunt perfecte elaborata ut nihil paene sequioris aevi doctoribus superesse videretur, quam vestigiis eius strenue insistendi. Quae cum ita sint, certe maxime est mirandum, quod in adnotatione sequenti, iterum de veritate rei dubitet. Dicit nempe: „*Nonnulla alias a nobis producta, quae nostrae inquisitioni oblata sunt, in praesens tametsi non revoco, confirmare tamen non audeo, cum crebro repetitae observationes non suppeditaverint, praeterquam quod primo fere obtutu inveniri potest; fibrae siquidem tum summae, tum interiores annularis protuberantiae firmae omnes conspiciuntur; contra autem, quae nervi quinti sunt, mox corticem protuberantia ingressae mollissimae fiunt, et hac mollitudine semper omnino profundiora subeunt, ut certo ex transversis protuberantiae fibris eas oriri minime rationi conveniant praecipue ab diversitatem naturae* [1]). — Haec SANTORINUS scripsisse videtur postquam per longum

6) l. c. explicat. Tab. II. pag. 18.

longum tempus forte caruerat cerebris ad hanc disquisitionem aptis.

Liceat mihi his ea ſtatim adiungere, quae GIRARDUS [1]) de ſententia SANTORINIANA iudicat. Etſi enim multo ſerius ac ipſe SANTORINUS ſcripſit, omnia tamen quae hac de re tradidit in explicationibus tabularum SANTORINIANARUM depoſuit. GIRARDUS, licet multa et aliorum et ſuis obſervationibus conveniant, omnibus tamen aſſentiri non poteſt. Primum quidem, ubi de faſciculo maiori loquitur, contendit, hunc numquam e transverſis protuberantiae annularis fibris pronaſci videri, niſi quis forte, eum e medullaribus ſolummodo, divinando potius quam obſervando repetere velit. Sequitur hac in re HALLERI atque MECKELII ſententiam, quibuscum exiſtimat, nervum quintum principium habentem ſecundum cerebelli lateralium pedunculorum longitudinem, e lateribus penetralium cerebelli emergere. Ad faſciculum minorem nonnulla adiecit levioris momenti, et SANTORINI ſententiam magis illuſtrantia quam eidem contraria. Magnam vero GIRARDUS meretur laudem, quod tabulam illam praeclaram de baſi encephali [2]) ſub SANTORINI auſpiciis pictam, in publicum edi curaverit, in qua praecipue par quintum optime expreſſum invenies.

---

1) l. c. pag. 17.

2) l. c. Tab. II.

§. 16.

Le Cat.

Qui poſt eum ſcripſit LE CAT[1]), non tam utilitatis quam curioſitatis cauſa notandus eſt, quippe qui novam et inauditam in libro ſuo de ſenſibus, baſeos encephali picturam dedit, in qua oculi, Varolii pons, arteria baſilaris omnesque nervorum origines eodem modo in conſpectum veniunt, non inverſo tamen cerebello. Peſſimam autem in hac ipſa tabula nervi quinti dedit delineationem. Expanſio eius in cavea durae matris quadranguli inſtar eſt, in quo ex quoque angulo nervus procedit.

§. 17.

Albertus ab Haller.

Quae A HALLERO ſuper hac anatomiae ſubtilioris parte tradita ſunt, tam parvi videntur momenti, ut eum plane omittere non dubitaſſem, niſi mihi perſuaſum haberem, Virum, alias immortaliter de arte medica meritum, propter ſummam quam nactus erat auctoritatem, in cauſa fuiſſe, quod a diſcipulis eius originis paris quinti exploratio omnino neglecta ſit. Nam de iſta origine ita loquitur, quaſi nihil in ea vel dubii vel obſcuri ſupereſſet. Sic uno in loco „*nervus quintus*“ inquit „ *e cerebello evidentiſſime producitur*“ [2]). Alio in loco addit „nervus quintus a pedunculis cerebelli evidentiſſime naſcitr“ [3]). In maiori

1) Traité des Sens. Amſterdam 1744. pag. 78.

2) Primae lineae phyſiologiae. Goetting. 1765. §. 371. pag. 167.

3) l. c. §. 362. pag. 159.

quoque Halleri opere elementorum physiologiae vix aliud quidquam super hac origine praecipitur [1]. „*Grandissimum quintum par est, originem ducens innumerabilibus fibris nerveis, a laterali et anteriore parte crurum cerebelli, qua primum a cerebello recedunt.*" De duobus fasciculis nullibi mentionem facit. Quod ad intumescentiam ganglioformem, iterum nonnisi brevissime disseritur [2]. „*Non enim ganglioformem plexum cum Ill.* Vieussenio *et* Winslovio *latam hanc expansionem fibrarum, nervi quinti paris, intra caveam suam dicere fas putavi, cum nihil cum gangliis reliquis nervorum corporis humani commune habeat, sed fibrae tantum nerveae in planitiem expansae sibique varie intersertae sint.*

§. 18.

I. F. Meckelius.

Anno superioris saeculi quadragesimo quarto, Ioannes Friedericus Meckelius [3]) tanta industria huius nervi inquisitionem aggressus est, ut maximam inde sibi aquisiverit gloriam. Ex eius sententia [4]) par quintum oritur ex ponte Varolii et laterali quidem eius parte, interdum distinctis duobus aut pluribus

1) Elementa physiologiae. Lausanne 1762. Tom. IV. Lect. VI. pag. 209.

2) In Not. ad Boerhavii Institut. Vol. II. pag. 560. not. a.

3) Io. Fr. Meckel D. de quinto pare nervor. cerebri. Goettingae 1748.

4) l. c. Lect. II. §§. 31 — 37.

medullarium fibrillarum fasciculis, minoribus aliis, alio vero maiori, in unum truncum collectis, saepius tamen ex unico fibrillarum medullarium fasciculo compositis. Sic nervus in nonnullis septuaginta- in aliis vero nonaginta ad centum usque fibrillis compositus, in unum teretem fasciculum conglutinatus, antrorsus fertur, versus angulum superiorem ossis petrosi. Ibi in planam compressus figuram, durae matris foramen offendit, et peculiarem durae matris subit caveam. Qua in cavea nervi quinti paris fibrillae piae matris ope coniunctae, et varie sibi invicem insertae iterumque in alios minores divisae, in rete nervosum expanduntur, quod ex uno aut duplici nervorum strato perficitur. Hoc rete a MECKELIO auctore HALLERO *taenia nervosa* nominatur, cum dubitet, illam nervi expansionem, veterum more, *plexum giangliformem* nominare, cum nihil cum gangliis reliquis commune habeat. Haec taenia primum quidem libere in cavea ista provehitur, postea vero, ubi incipit in tres ramos dividi, ope fibrillarum rubellarum, firmissime adhaeret laminae internae durae matris. Nonnullae fibrae duram matrem perforantes, neque tamen in illa pergentes iterum ad taeniam revertuntur. Disputat denique contra VIEUSSENIUM et WINSLOVIUM, qui docuerant, nervum quintum per sinum cavernosum transire, eiusque in sanguine lavari. — Dolendum est sane praestantissimum MECKELIUM in elegantissima icone, tractatui de quinto pare adnexa, neque eius originem nec taeniam nervosam expressisse.

§. 19.

A. B. R. Hirſchius.

Antonius Balthasar Raymandus Hirschius in diſſertatione ſua [1]) eundem ad quem nos tendimus ſibi propoſuerat finem, ut nempe de *origine* huiusce nervi et *ganglio ſemilunari* diſſereret. In deſcriptione originis et caveae, immo et nervi ipſius omnino ſequutus eſt Hallerum et Meckelium, ita quidem, ut ſi eius ſententiam enarrare vellem, eadem quae iam a Meckelio adeoque melius ac fuſius dicta ſunt, repetenda eſſent. — Maioris vero momenti in ipſo opuſculo haec fere ſunt. Fibrae, quae ab origine nervi laxius inter ſe cohaerebant, ita in nervi in ſua cavea progreſſione mutantur, ut nunc ſibi invicem interſertae, iterumque in alias minores ſubdiviſae inter ſe implicentur. Numerantur diverſa quamvis pauca iſtarum fibrarum ſtrata; color interiorum fibrarum rubrior. Eodem tempore figura atque magnitudo immutantur. Taeniam nempe nervoſam Halleri atque Meckelii verum ganglion eſſe contendit, et ſequentibus argumentis ſententiam ſuam confirmat. Primum quidem eos nervorum tumores ganglia dicere ſolemus, e quibus plures ac maiores rami nervoſi egrediuntur ac ingrediuntur. Secundo, ſtructura gangliorum ita eſt comparata, ut cortex quaſi durior includat molliorem ſubſtantiam. His autem maxime

---

1) A. B. R. Hirsch paris quinti nervorum encephali disquiſitio anatomica. Viennae 1765 (in Ludwig ſcriptor. nevrologic. minor. Tom. I. pag. 244.)

ganglion noſtrum gaudet. Sequitur deſcriptio ganglii ipſius, quod in honorem, et propter inventionem praeceptoris, *ganglion* GASSERI nominare decrevit. „*Ganglion*" inquit „*ex transverſo eſt ſitum, figuram ſemilunae, ſeu falcis prae ſe ferens, cuius concavitas originem, convexitas frontis partem interiorem reſpicit; longitudo eius ſex circiter lineas adaequat, latitudo duas. Color eſt rubellus, carneus, albo mixtus.*" — In icone diſſertationi adiecta male hoc ganglion depictum invenies. Ceterum totam diſſertationem, acuratiori ſtudio et ingenio vel ad minima attento carere, dolendum eſt.

§. 20.

I. E. Neubauerus.

IOANNES ERNESTUS NEUBAUERUS anteceſſorum veſtigia legit [1]). Oritur nervus quintus ex cruribus cerebelli, paululum verſus eorundem latus exterius. Permulta oriuntur fibrae nerveae, quibus duo, vel tres, vel et quatuor ex laterali exteriori crurum parte, tectae adhuc, lobis cerebelli lateralibus interdum accedunt, anterioremque occupant locum. Semel tantum auctor vidit unicam ſolum ſed craſſiorem et molliorem fibram accedere. Has radices ope telae cellulosae, in unum, rarius in duos vel plures faſciculos combinatos eſſe contendit, qui quidem inter cerebelli lobos laterales prominentiamque annularem emergunt. Sequitur nunc at nonniſi breviſſima de-

1) I. E. NEUBAUERI deſcriptio anatomica nervorum cardiacorum. Ienae 1772. §. II. pag. 19. et ſqq.

ſcriptio proceſſus nervi, usque ad introitum in ſuam caveam, ipſiusque caveae, qua in deſcriptione Meckelium ſequitur. De expanſione nervi in illa cavea ita diſſeritur: „*Parumper in hac cavea provectus nervus, ſenſim in latitudinem magis expanſus ſuas fibras variis omnino modis ſibi invicem inſertas ſiſtit, quae in plures iterum transverſae ſecedentes diviſae, a lateribus verſus medium, et ex medio oblique verſus latera ſeſe invicem decuſſando ducuntur; quaedam in his recta via procedunt, aliae in ſuperiori ſuperficie, eminentes atque rubicundae, ſeſe paululum extollunt, et celluloſa intermixta tela, aggeris lunati quaſi ſpeciem ſiſtunt, cuius margo concavus originem, convexus vero diſtributionem huius nervi reſpicit.*“ In adnotatione contra Hirshium disputans, nec interiori fabrica nec exteriori etiam facie, hunc plexum reliquis noſtri corporis gangliis ſimilem eſſe contendit.

§. 21.

H. A. Wrisbergius.

Henricus Augustus Wrisbergius, Georgiae olim Auguſtae decus, ut in omni re anatomica magnam ſibi gloriam meritis paraverat, ita de hoc quoque quod tractamus argumento, libellum [1]) reliquit, luculentiſſimum ingenii et induſtriae documentum. Diſſertationem in tres partitur ſectiones, quarum in prima de ortu, in ſecunda, de intumeſcentia eiusdem ſemilunari, in tertia denique de fictis illis nervulis,

---

1) H. A. Wrisbergii obſervationes anatomicae de quinto pare nervorum encephali ect. Goettingae 1777.

qui ex quinto pare in duram membranam abire a nonnullis creduntur, differere inftituit. Difficile fuerit, ea quae vir clariffimus tradidit, tamquam in epitomen redigere, cum omnia fint tanti momenti ut quid eligendum, quid omittendum fit, femper dubius haereas. Cum vero neque fines libelli neque confilium, omnia communicare cum lectoribus permittant, in iis folum quae mihi nova vifa funt acquiefcam. Nervus, fi Wrisbergium fequeris duabus conftat portionibus, quae quidem ita funt conftantes, ut numquam vel plures vel unam tantum radicem inveniffe meminerit. Anterior portio feu minor ex fuperiore et elatiore pedunculi parte oritur, in vicinitate prominentium loborum cerebelli lateralium. Maior portio ex media pedunculi linea aut potius ex medio margine, hac quidem ratione, ut fila nervea minoris portionis in pedunculi partem pofteriorem extendantur, cum maior portio paulo anterius finiatur. Bis autem vidit nervum non folum pedunculis cerebelli originem debentem, cum inveniret filamenta ex medulla oblongata eiusque corporibus pyramidalibus, ad formationem nervi accedentia. Structura maioris portionis ab origine usque ad exitum e dura membrana talem invenit. Nervus ex quadam umbra molli et aequabili nervorum pulpa confiftens, hucusque nihil fibrofi ostendit, mox autem pulpa in filamentorum coalitorum fafciculos formatur pia meninge obvolutos. Numerus fafciculorum poft nativitatem auctus, in finiftro latere fere femper minor deprehenditur ac in dextra. In durae matris cavea, faepius ambas portiones non am-

plius ſeparatas invenit, nonnumquam tamen una ab altera ſeparata. Portio minor, absque omni cum intumeſcentia ſemilunari communicatione, in ramum tertium quinti paris inſerebatur. Filamenta integra, in plura minora filamenta dehiſcunt, ita quidem ut quisque faſciculus in duos vel tres ramos diviſus ſit, quorum duo ſibi invicem ramuli in novum iterum truncum confluant, qui denuo fiſſus novos truncos exhibeat. De intumeſcentia ganglioformi quinti paris optime deſcripta, etſi minus feliciter, et rudi fere ut aiunt Minerva, in icone depicta, certo aſſerere vult, eam merum plexum eſſe, et illaqueatam nervorum filamentorum coniunctionem, quam a figura *intumeſcentiam ſemilunarem* appellandam eſſe cenſet. Quae ſequuntur ſatis dilucide probant, anatomicos omnes, qui nervulos a quinto pare in duram meningem abire contenderunt, in magno verſatos eſſe errore.

§. 22.

Ant. Scarpa, et Vicq. D'Azir.

Nonniſi pauca ad argumentum in quo verſamur ſpectantia, contulit illuſtriſſimus Italus, ANTONIUS SCARPA [1]), ob viri auctoritatem magis, quam novitatis cauſa non omittenda. „*Par quintum*" ut ipſius auctoris utar verbis „*duobus germinat initiis, minori uno, maiori altero. Minor ſeu anterior ex ſuperiore et elatiore pedunculi cerebelli parte oritur. Maior, potius ex media pedunculi linea, aut ex medio margine. Binae iſtae portiones paris quinti ſeparatae incedunt per aliquod ſpatium*

1) A. SCARPA Obſervationes anatomicae. Mutinae 1779.

intra cranium, deinde coalescunt " [1]). De intumescentia semilunari ita loquitur [2])! „*Iteratae observationes me docuerunt, radicem paris quinti, ante quam in tres principes ramos facescat, intumescentiam ganglio affinem efficere. Nam ubi stamina nervea paris quinti secedunt in triplicem ramum aliquantulo primum dehiscunt, et plexuosa incedunt, seu datis nonnullis, acceptisque filis, irretita deinde maiora interstitia relinquunt, quo magis rami a suo trunco recedunt. Interea substantia quaedam granosa quae tela cellulosa est humore mucilaginoso referta, non tantum interstitia replet staminum radicis quinti paris, sed et ipsam radicem succingit et volumine adauget.*"

Ceterum idem fere valet de anatomico, multis alias meritis insigni Francogallo VICQ D'AZIR [3]), nihil plane novi commemorante, neque de origine neque de progressu huiusce nervi, paucisque verbis [4]) ea repetente, quae a WRISBERGIO et NEUBAUERO acceperat, quarum sententias in superioribus satis superque exposuimus.

§. 23.

G. Prochasca et R. Martinus.

GEORGIUS PROCHASCA optimam quae exstat de plexu gangliformi dedit delineationem [5]). Con-

---

1) l. c. Lib. I. Cap. III. §. 17. pag. 107.

2) l. c. Lib. I. Cap. II. §. 29. pag. 74.

3) Traité d'anatomie et de physiologie avec des planches coloriés ect. Paris 1786.

4) In descriptione Tabulae XVIII. pag. 52. 46 et 47.

5) In libro de structura nervorum. Vindobon. 1779. vid. h. l. Tab. II. Fig. IV. V. et VI.

tendit vero PROCHASCA verum ganglion adeſſe. Cum de ſtructura huius ganglii in explicatione tabularum obiter tantum loquatur, nonniſi pauca, immo nihil fere nobis reliquit, quod non in ſcriptis anteceſſorum inveniatur. Neque de ROLANDO MARTINO [1]) plura dici poſſunt, cum ad huius nervi deſcriptionem, nihil plane novi contulerit, potiſſimum ea repetens quae HALLERUS et MECKELIUS ſuper hoc argumento praeceperant.

§. 24.

I. B. Paletta.

At novam rationem in hac disquiſitione ingreſſus eſt I. B. PALETTA [2]), qui minorem portionem a maiori ſeiungens, cum quidem a ceteris plane ſeiunctae originem ducant, duos novos nervos conſtituit, quibus nomen *crotaphytici* et *buccinatorii* tribuit. Exciſo cerebro, tentorio ſimiliter deſtructo, omnibusque ſublatis, quae ſupra crura adſcendentia cerebelli poſita ſunt, truncus quinti paris in conſpectum venit, quo ad radicem abſciſo et reclinato, nervi iſti *crotaphyticus* et *buccinatorius* in conſpectum veniunt [3]). Prior et maior faſciculus (n. crotaphyticus) editiori loco poſitus, et a ſuperiori poſteriorique cruris cerebelli parte pronatus, primum diſtinctus procedit, tum obliquo

---

1) ROL. MARTIN. inſtitut. nevrologicae ect. Holmiae et Lipſ. 1781. §. 22. et ſeqq. pag. 19.

2) I. B. PALETTA de nervo crotaphytico et buccinatorio. Mediolan. 1787.

3) In icone adiecta Fig. II. m et n.

ductu ad ophthalmicum accedit, atque in introitu foraminis ovalis durae matris cum reliquis mixtus videtur; quod vere autem non fit, cum integer procedat, nullumque cum ceteris habeat commercium [1]). Minor faſciculus (n. buccinatorius) ortum ducit a columnae medullaris axi, id eſt ab intimis pedunculi cerebelli penetralibus, rectaque per mediam medullam decurrens ſub maxillari ſuperiori emergit aliquot lineis infra faſciculum maiorem, et diſtinctus ſub intumeſcentia ſemilunari pergit, ubi priori iunctus, planam taeniolam conſtituit, et cum eo ad ovale cranii foramen contendit [2]). In deſcriptione intumeſcentiae ſemilunaris, quam cum *Malacarneo*, *armillam* vocat, ſequitur *Wrisbergium*, negat verum ganglion adeſſe ſed potius reticulum fibrarum validarum, quibus interſparſa ſanguifera vaſcula ex receptaculo advenientia rubellum colorem inducunt.

§. 25.

S. Th. Soemmeringius.

Qui principem locum occupat inter artis noſtrae auctores, SAM. THOM. SOEMMERINGIUS, Vir celeberrimus, in diſſertatione prima WRISBERGII praeceptoris ſui veſtigiis inſtitit [3]). Quod quidem ipſe his verbis ſignificavit: „*Nervi huius deſcriptionem cum prae-*

---

1) l. c. Fig. III. 3.

2) l. c. Fig. III. 4.

3) S. T. SOEMMERING de baſi encephali et originibus nervorum e cranio egredientium. Goettingae 1778. (in LUDWIG ſelect. ſcriptor. neurologicor. minor. Tom. II. pag. 1. iterum ab auctore recenſita.)

ſtantiſſimi ſaeculi noſtri inciſores fuſiorem abſolverint, ne actum quibusdam agere viderer, praetermittere forſan ſummo iure potuiſſem, attamen ne hac in parte opus noſtrum defectu laboret, breviter de illo agendum mihi eſſe exiſtimavi " [2]). At poſt viginti fere annos [1796] novam huius nervi originem fortuito ut ipſe dicit invenit, eandemque deſcripſit [3]). Oritur, ex eius ſententia, nervus e nodo cerebri, prope cerebellum, duabus partibus, altera parte minore, ſuperiore interiore, altera maiore. Maior pars emergit e rima nodi cerebri, et ex ipſo fere ventriculi quarti pavimento oritur, ita ut ultimae eius nerveae origines humore ventriculi quarti alluantur [4]). Minor portio itidem ex ima nodi ſubſtantia provenit. Ambae partes tela celluloſa laxa inter ſe invicem uniuntur, nonnumquam vero vaſis a ſe invicem dividuntur. Partio maior dum meningem duram penetrat in ſubtiliora fila explicatur, et cum ipſa meninge arcte coniuncta nodum quendam ex multis arteriis rubicundum conſtituit. In ipſo hoc nodo, medium quaſi habitum et ganglii et plexus repraeſentante, nervus plus quam ſexiès craſſitudine augetur. Nodus mollior eſt ganglio nervorum ſpinalium, durior vero bulbo nervi olfactorii. Portio minor exceptis nonnullis exterioribus fibris, plexum intrantibus, a portione maiori plane ſeiuncta tertio ramo, ante quam foramen ovale tranſit, implicatur.

2) l. c. Lib. III. Sect. V. §. 58.
3) S. T. Soemmering über das Organ der Seele. Königsberg 1796. §. 21. pag. 56. Id. Vom Bau des menſchlichen Körpers. Frankfurt am Main 1800. Th. V. Sect. I. §. 165. pag. 165.
4) Ueber das Organ der Seele Tab. II. pag. 9.

§. 26.

X. *Bichatus.*

Vir perilluſtris Xaverius Bichatus, qui per disquiſitiones ſuas anatomicas novam hac in ſcientia viam aperuit, anatomiam arctius cum phyſiologia caniungens, novum quoque lumen theoriae de huius nervi origine accendit, in iis praeſertim quae de modo quo nervus oritur disputavit [1]). „*Ces nerfs naiſſent de la partie externe et inférieure des prolongemens poſtérieures de la protubérance cérébrale, près de l'endroit où ces prolongemens ſe réuniſſent à cette éminence. Leur origine se fait par un très grand nombre de filets diſtincts et aplatis. Ces filets, ſolides et denſes dans leur ſtructure, à cauſe du nevrilème qui enveloppe chacun d'eux, tiennent fort peu à la ſubſtance medullaire dont ils partent et s'en détachent par le moindre effort. Cette ſubſtance médullaire forme á l'endroit de l'origine une eſpèce de ſaillie ou de mammelon, qu'on ne voit pas d'abord parce qu'il ſe trouve caché au milieu des filets nerveux. Quand on enleve avec précaution la pie-mère en allant du prolongement poſtérieur à ces filets ſur lesquels elle ſe continue, ils ſe détachent de deſſus cette ſaillie et la laiſſent à découvert. En les enlevant ainſi avec précaution, on voit, qu'ils naiſſent ſur taute ſa ſurface, à ſa baſe et à ſon ſommet. Par cette dispoſition, ils occupent moins de place que s'ils naiſſoient ſur une ſurface plane: auſſi l'espace qu'oc-*

1) Traité d'anatomie deſcriptio par Xaver Bichat. Paris 1802.

cupe cette origine eſt-il petit malgré leur grand nombre. Ainſi des fibres charnues naiſſant tout autour d'une apophyſe ou d'un tendon, tiennent elles moins de place ſur une ſurface osſeuſe. Ce tubercule médullaire, de même nature que le prolongement dont il naît, eſt ſeulement un peu plus mou; il diffère eſſentiellement des filets nerveux auxquels le névrilème donne beaucaup de conſiſtance[1]). " — Fibrae illae in omnibus fere ſubiectis diviſae ſunt in duas portiones, laminibus telae celluloſae una ab altera ſeparatas, quarum maiori ſolum bulbus ille deſcriptus reſpondet. Fibrae minoris portionis ſunt molliores et maiores. Truncus nervi mox in canalem durae matris inſeritur, ubi *Arachnoïdea*, qua erat obvolutus, reflectitur, et ad cerebrum redit. Sequitur hic deſcriptio intumeſcentiae ſemilunaris quam ita inſtituit [2]). „*Le nerf s'élargit et s'aplatit beaucoup en paſſant ſur le bord ſupérieur du rocher. Les filets y ſont encore paralèles; mais parvenus dans la foſſe temporale interne, ils s'écartent les uns des autres, et en divergant ſenſiblement, et formant par là un ruban aplati, au lieu d'un eordan arrondi; des eſpaces plus ſenſibles les ſéparent; mais ils ne s'interlacent que très peu, ne s'uniſſent, presque point les uns aux autres, comme cela arrive dans le traiect des nerfs; chacun parait reſter diſtinct, et peutétre ſuivi depuis l'origine jusqu'au renflement médullaire. Ce renflement eſt d'une nature toute différente des filets: griſſâtre tandis qu'eux ſont blancs, il offre une cavité de leur côté pour les re-*

1) l. c. Tom. III. Article VII. §. 3. pag. 162.

2) lac. cit. pag. 163.

cevoir et une convexité pour donner naiſſance aux trois diviſions du nerf qui nous occupe. — Il n'a point le tiſſu denſe et pulpeux des ganglions; on y voit des aréoles et un entrecroiſſement des fibres qui le raprochent des plexus. Il eſt intremédiaire pour ainſi dire aux unes et aux autres, et ſe raprochant plus des derniers. Les filets nerveux qui viennet s'y rendre, s'y confondent et s'y entrelacent tellement, qu'il eſt impoſſible de les y ſuivre. Il ſemble rompre toute eſpèce de continuité entre ces filets, et ceux des trois diviſions du nerfs. Ces diviſions y trouvent réellement une origine nouvelle. Cependant quand la diſpoſition plexiforme eſt très-marquée, on peut ſuivre la continuité de quelques-unes dans les trois diviſions des nerfs." — Portionis minoris decurſum eodem modo quo Soemmeringius deſcripſit.

§. 27.

F. I. Gallius.

Qui nuperrime paris quinti originem tractavit F. I. Gallius [1]) paucis in eius deſcriptione défungitur. Redit ad Santorini ſententiam, cuius veritatem praecipue ex anatomia comparata probare ſtudet. Sic fere disputat [2]). In piſcibus ganglion illud ex quo nervus originem ducit ſeparatum eſt, uti etiam fibrae nervum conſtituentes iam ab origine a ſubſtantia communi diſcretae procedunt. In mammali-

1) Anatomie und Phyſiologie des Nervenſyſtems im allgemeinen und des Gehirns insbeſondere, von F. I. Gall und K. Spurtzheim. Paris 1810.

2) l. c. Th. I. Abth. IV. pag. 211 et ſqq.

malibus autem, magnus faſciculus nondum ſeparatus adſcendit, qui ſimulac ſub ligamento transverſali transgreſſus eſt, a communi maſſa ſecedit. In hominibus autem et ſimiis, faſciculus ille, partim protuberantia annulari obtectus, ab illa ipſa protuberantia originem ducere videtur. Cum autem poſteriorem pontis partem reclinaveris, facile nervum e corporibus olivaribus originem ducentem invenies. Iam hic nervus ex tribus diſtinctis portionibus compoſitus luculenter apparet, fibrillaeque ex maſſa cinerea orientes. — Hanc quidem theoriam tabula aenea, operi adiecta et diligentiſſime elaborata, llluſtravit [3]). De ſummis viri celeberrimi circa cerebri anatomiam meritis, ne ii quidem dubitant, qui, quae de CRANIOSCOPIA docuit, „*opinionum commentis quae dies deletura ſit*" adnumerant. Quatenus vero eum quoque, in quo disputatio noſtra verſatur, locum ita abſolverit, ut nihil relictum ſit poſt eum ſcripturis, in altera libelli noſtri parte dicetur.

§. 28.
Epilogus.

Haec fere ſunt, quae in auctoribus tam antiquioribus quam recentioribus, quas evolvendi mihi copia data fuit, de origine paris quinti nervorum cerebri reperire potui, omiſſis tamen auctoribus, qui vel in compendiis vel in ſingularibus libellis, nil

3) Tab. V. A. i. k. B. 12.

niſi dicta ab anteceſſoribus repetenda eſſe duxerunt. Non enim committere volui, ut cuiquam viderer transilire terminos, ſcriptionibus academicis definitos. Quae collegi ſi inter ſe conferantur, maximam per omnia ſaecula extitiſſe opinionum diverſitatem quis non intelligit? Reſtat nunc, ut qualis *mihi* fabrica huius partis apparuerit, in *ſecunda* disſertationis meae *parte* uberius exponam, quibus verecundum addam de auctorum laudatorum ſententiis iudicium; non quod eum me eſſe exiſtimem, qui tantas componere lites valeat, ſed ne plane *ασυμβολος* e loco, tot aliorum meritis illuſtrato, diſcedam.

DE ORIGINE PARIS QUINTI NERVORUM CEREBRI.

PARS POSTERIOR THEORETICA.

Introductio.

§. 1.

Paucis tantum verbis mihi liceat alteri dissertationis meae parti praefari. Duplex in ea elaboranda se mihi difficultas obtulit. In anatomicis enim disquisitionibus non sufficit, ut obiecti in quod inquirimus, accuratam nobis *ipsi* imaginem efformemus, qualem — haud raro satis obscuram — natura oculis nostris exhibet. Majus et longe difficilius naturae scrutatori restat negotium. Quae ipse oculis arripuit, quorum sibi in animo imaginem formavit, ea accuratis verborum signis notanda sunt et dilucidanda, ut quidquid viderit, quidquid observarit cum aliis communicare, rectas in eorum mentibus obiecti ideas producere possit, quibus informati, ubi ipsi obiectum viderint, statim agnoscant. Tam gravi officio ut pro viribus satis facerem, secundum Illustris Reilii exemplum,

rationem quoque et viam indicavi, qua ad ea, quae obſervare et invenire mihi viſus ſum lectoribus enarranda, aditum mihi paraverim.

§. 2.

In ipſa paris nervorum quinti delineatione quare ab ipſa natura paululum receſſerim, eius rei mihi ratio reddenda eſt, cum, qui eam accurate exprimere velit, imaginem a primis centralibus finibus inchoare, et inde ulterius perſequi debere videatur. Ego contra illum locum, in quo nervus in collo cruris lateralis emergit, tanquam centrum ſelegi, et inde prorſum atque retrorum proſequutus sum. Quod non ideo factum eſſe credant lectores, quaſi iſti loco magnum in formatione nervi momentum tribuam. Communem potius, quae hucusque praevaluit opinionem, hanc veram eſſe originem, ſequutus ſum, quoniam facilior ſub hac hypotheſi redditur huius nervi adſpectus. Quamobrem, ſi in hac re peccavero, facile excuſaturos ſpero lectores, dummodo obiecti ipſius deſcriptioni maior inde lux affundatur.

§. 3.

Ipſam argumenti tractationem in *quatuor* diſtribuendam eſſe putavi ſectiones. *Prima* nervi originem et progreſſum in cerebro; *secunda* illius, poſtquam ex ponte emerſit, iter, ſimulque partes ad illum propius pertinentes demonſtrat; in *tertia* ſectione ipſam nervi ſtructuram explicabo; in *quarta* nervorum crotaphytici et buccinatoris deſcriptio

accedet. In laudandis vel excerpendis aliorum ſcriptis et ſententiis parcus ero, praeſertim cum in prima libelli parte diligentius, quid viri docti de hoc argumento disputaverint, expoſuerim; non immemor, luxurioſam doctorum in academicis libellis laudationem, non raro affectatam potius, quam veram vaſtamque prodere eruditionem. — Ceterum humana potiſſimum corpora incidi, haud quidem ignarus, quantum inſit in anatomia, quam comparativam dicunt, momenti, at temporis quod mihi ad elaborandum hoc opusculum conceſſum fuit, anguſtiis preſſus, animaliumque incidendorum opportunitate tantum non omni orbatus.

§. 4.

Sed antequam ulterius progrediar, methodi quoque ratio reddenda videtur, qua nervos ſcrutatus ſum, ac curatioremque harum partium anatomen tradere mihi contigerit. Erat autem idem cerebrum atque ipſos nervos ſcrutandi modus, quem Ill. REILIUS [1]) ſcriptis divulgavit. Optime res mihi ceſſit in praeparatis partibus, quae non diu ante in mercurii ſublimati ſolutione duritiem contraxerant, paulo poſt vero acido nitrico haud nimis diluto immittebantur; ita enim et nimia a priori contractio, et ſuperveniens ab altero reagente friabilitas commode vi-

1) v. REILII exercitat. anatom. faſc. primus de ſtructura nervorum. Halae 1798. p. 15 et sq. REIL Archiv der Phyſiolog. B. 8. S. 18. B. 9. S. 37.

tatur, hoc autem, elapſo contractionem inter et friabilitatem exiguo tempore, omnem laborem ſummopere difficilem, imo irritum reddi expertus ſum. — Utrum haec aptiſſima ſit anatomicis disquiſitionibus methodus, quam Reilius in cerebri nervorumque, et praeſertim in lentis cryſtallinae obſervatione tam felici ſucceſſu adhibuit, ut nemo facile de illius praeſtantia dubitare poſſit, ſupervacanea utique quaeſtio videri poſſet, niſi eſſet inter principes noſtri aevi anatomicos, qui hanc ipſam methodum in ſuspicionem traxiſſet, exiſtimans, facile accidere poſſe ut res corporibus nusquam inhaerentes arti sminiſterio oculis exhibeantur. Nervorum certe in acidis tractationem haec obiectio non attingit; acida nimirum neurolema ſolum et tunicas deſtruunt, non violatis nervis. Quod cerebrum attinet, fatemur utique, ſingulas huius organi partes, pro neceſſaria illius ad varias functiones aptitudine, non propriam, tamque conſtantem per omnia fabricam exhibere, quam aliae corporis humani exhibent partes, v. c. ſinguli musculi et nervi, sed potius in unum organon coaluiſſe atque hoc praeparationis modo validius in ſemet ipſum retrahi poſſe, et ſeparatim conſiſtere. Attamen nulla inde nova aut artefacta ſtructura producitur; imo, ſi vel hoc fieri concedamus, haec tamen a reagentium influxu in novas formas proclivitas, in ipſis cerebri moleculis deberet reſidere. Alcohol enim nequit organa formare. Haec igitur rem tractandi ratio, quaſi artem nobis ſiſteret, quae id quod ſolum in *potentia* adeſt, etiam *actu* manifeſtare valeret. Accedit, quod ea, quae in duratis cerebris fuerunt detecta, in

recenti etiam cerebro reperiuntur. Quamobrem hactenus minus iuſtam mihi videri Viri doctiſſimi criminationem, libere profiteor.

Sectio prima

De quinti paris nervorum in cerebro origine et progreſſu.

§. 5.

In disquiſitione de quinti nervorum paris origine et progreſſu, primum omnium ad ea reſpiciendum eſſe exiſtimavi, quae de ipſa cerebri ſtructura virorum doctorum opera et ſtudiis in lucem prolata et extra omnem poſita eſſent dubitationem. Qua in re quem ducem in primis ſequerer, dubius haerere non potui. Praeceptorem enim illuſtrem Reilium omnibus facile in tractando hoc loco palmam praeripuiſſe vix unus et alter negaverit. Eius igitur theoria, tamquam fundamento nitetur ulterior, ad quam me accingo, disquiſitio, eamque ſumendam potius quam uberius repetendam eſſe, quod longum fuiſſet et ſupervacaneum, cenſui. Hanc ipſam ob cauſam, non niſi in ſingulorum organorum commemoratione, lectores ad ſingula Reilianorum de hoc argumento diſputationum loca ablegare licebit.

§. 6.

Quintum par nervorum ſub collo cruris cerebri lateralis egreditur, quem originis locum Cam-

PERUS[1]) omnium primus accurate notavit. Fibrae pontis transverſae ſubtus et ſuperius iuxta nervum decurrunt, et intumescentem ad illius exitum fiſſuram parant. Ibidem fibrarum nervoſarum plexus deſinit, ita ut fiſſura, pontis fibroſa parte remota, in conſpectum veniat. In praeparatis anatomicis, quae in alcohole duritiem et rugas contraxerunt, corpus nervi ante pontem prominere videtur. In recenti autem cerebro res aliter ſe habet, et fiſſura quoque in cerebris alcohole praeparatis luculentius eminet. Nervus conſtanter uno tantumodo conſtat corpore, ſed hic jam transverſae fibrae ſaepius per nervum transeunt, ac ſi illum plures minoresque comitarentur, tandemque cum illo conjungerentur fasciculi. Iam nervus in planam formam compreſſus, fimbriae inſtar (*bandförmig*) inter transverſales fibras, quae ipſi ſubinde implicantur, exit, atque hoc modo in plures funiculos dividitur. — In naturali medullae ſpinalis ſitu, lata nervi ſuperficies horizontaliter fere progreditur; in horizontali autem medullae ſitu anterior ſuperficies inferiora, poſterior autem ſuperiora verſus obvertitur; ſenſim ab inferiori verſus ſuperiora, ab anteriori autem parte poſterius per corpus cruris lateralis ad eum locum aſcendit, ubi laterale [2]) et exterius[3]), cum poſteriori[4])

1) CAMPER in epiſt. ad Albinum. Tab. aen. Fg. i. s. Vide quoque REIL Archiv. B. 8. Tabul 1, Fig. 2. litt. g. Tab. II. Fig. I. litt. e. Tab. VI. Fig. I. ubi fiſſura clare expreſſa eſt.

2) l. c. p. 499.

3) l. c. p. 505.

4) l. c. p. 494.

antrorſum tendente crure, in poſtico apice manifeſti undique meniſci [4]) (*Schleife*) in uno centro conjuncti tentorium efformant [5]). Atque ibidem ſubſtantia cinerea meniscum inter et crus anterius atque poſterius ſuper corpus quinti nervi prorumpit, ſolo èpithelio tecta. Hic ab inferiori ſuperſicie, et a poſtico et ſuperiori margine meniſci recedens, aliquot fibrillis extremas hujus marginis ſibrillas videtur perforare. In hoc itinere nervus vaginae eique tenerrimae, ex cellulоſa tela contextae incluſus, implicitus eſt transverſalibus fibris, quarum aliquae ſub acutis angulis huic nervo inſeri videntur. Ipſe autem nervus longitudinales fibras exhibet.

§. 7.

In hoc autem progreſſu nervum quatuor arteriae comitantur; duae in marginibus, duae in media ſuperficie iuxta illius fibras parallelae decurrunt. Nullae ſunt in hoc itinere ramificationes, ita quidem, ut oppoſita prorſus nervos inter et arterias ratio inveniatur. Ad detegendas arterias non opus eſt injectionibus; ſimulatque, rescifa undique circa nervum pia matre, eundem methodo inferius deſcribenda ulterius proſequimur, vaſa ſanguine turgentia mox in conſpectum veniunt. Neglecta vero, quae ibidem addita eſt, cautela, ſi forte, quod ſaepius accidere ſolet, pia mater a nervo detrahitur, vaſa quoque ſimul extrahuntur.

---

5) l. c. p. 505.
6) Archiv. B. 9. p. 493. Tab. XI. r. s. t.

§. 8

Ad hunc usque locum nervus solitarius apparet, ut nullum de propria ejus natura dubium moveatur. Acutissimus Soemmerringius studiose hunc nervum inquisivit, et centrales illius fines ad ultimum fere ventriculi quarti parietem prosequutus est. Ad demonstrandum nervi in hoc itinere progressum hac fere utitur encheiresi. Pontem recta dissecat ita, ut extrema sectionis puncta inter fissuram quinti paris ex una parte, ex altera autem in medium parietem quarti ventriculi incidant, quibus peractis nervus in conspectum venit. Minus tamen certa mihi et secura videtur haec methodus, imo et infelix, quem multi experti sunt tentaminum eventus, parum abest, quin omnino dissuadeat. Certiorem existimaverim eum, quem, crebra exercitatione in mollioribus etiam cerebris ad monstrandum nervum adhibui modum, qui qualis sit, in sequentibus exponam.

§. 9.

Iam ante Soemmerringium Santorinus nervi huius progressum huc usque adeoque ulterius prosequutus erat. Possit etiam aliquis mirari, Virum experientissimum de nervo unice sollicitum, illius quidem ad hunc usque locum progressum descripsisse, in delineatione autem relationem, quae nervum inter et contiguas partes locum habet, nullo modo expressisse. Neque tamen infitiandum est, veram harum partium structuram et organismum nuper admodum innotuisse. Ceterum in delineatione, a

SOEMMERINGIO deſcriptioni ſuae adiuncta, latitudo nervi ad tertiam, ni fallor, partem imminui debuiſſet.

§. 10.

At longe obſcurior eſt, ſi cum praecedentibus conferas, ulterior huius nervi in medullam prolongatam proceſſus. Haud raro enim nervus, ſub adminiſtratione anatomica deſinere, omnisque opera in ulteriori indagatione adhibita, plane fruſtranea eſſe videtur. Saepius quoque fibrae quaedam in conſpectum veniunt, nervi huius ad ſpeciem propagines. At nimium obſcurae ſunt hae fibrae, ut rem extra omnem dubitationem poſita eſſe contendi vix poſſit. Praeſtantiora tamen praeparata anatomica, in quibus ulterior nervi inceſſus evidentius patet, WINSLOVVII praeterea, et SANTORINI, et binae inſuper WRISBERGII obſervationes, quibus nervi ex medulla oblongata origo demonſtratur, non interruptum huius nervorum paris iter evidenter confirmant. Grave inſuper ex anatome comparata argumentum accedit; in animalibus enim mammalibus, in quibus hic nervus admodum robuſtus eſſe ſolet, illius in medullam oblongatam progreſſum facili negotio licet proſequi. Ego quidem pauca duntaxat equorum, ovium et vitulorum cerebra inquiſivi. GALLUS de hoc nervo prolixius diſſeruit, eumque in diverſis animalibus demonſtravit. At tam in humana, quam quae in comparata hunc nervum ſpectant, anatome, ita leviter feſtinanterque verſatus eſt V. A. ut non niſi modicum exinde lucrum ſcientiae acceſſerit. Quod autem ad ipſam auctoris

ſententiam, is nervi quidem iter exacte perſequutus eſt; at pro ſua, quam de nervorum origine fovet, hypotheſi, de huius nervi in corporibus olivaribus ſine, iuſto, ut credo, audacius decrevit. Ceterum, cui huiusmodi disquiſitiones repetere placuerit, rem haud ita facilem experietur, ac GALLUS putat; nervi enim progreſſum in medullam oblongatam usque proſequi, in recentibus praeſertim, quibus ille utebatur cerebris, difficillimus labor eſt.

§. 11.

Sed redeamus ad nervum; qui poſtquam ad locum, quem ſupra notavi, pervenit, crus laterale circumiens, retrorſumque crus inter laterale et poſticum tranſiens, ſub poſtico crure progreditur. Ibidem, et praecipue ubi ſupra tentorium crus anterius ad tentorium pervenit, cinerea ſubſtantia eum ita obtegit, ut per illam tranſeat, quod manifeſte conſpicitur, ſi nervo elevato inferiorem illius ſuperficiem proſequimur. Haud itaque in ſubſtantia cinerea deſinit, ſed eam duntaxat perforat, atque ſub crure poſteriori ad infimum fere areae apicem usque progreditur. Nervum inter et crus poſterius tenuis eſt ſubſtantiae cinereae lamina, cum ſubſtantia ex tentorio prodeunte conjuncta. Sub crure poſtico nervus ab externo margine medullae ſpinalis $\frac{1}{2}$ linea circiter diſtans, iuxta lineam, quae corpora olivaria a poſtico crure ſeparat, progreditur. Inde vero obſcurior continuo et vagus eſſe incipit huius nervi progreſſus, ut illius centrales fines certo indicari nequeant, eum tamen in olivaria usque corpora

penetrare veriſimillimum eſt, atque plures anatomici ſe hunc nervum huc usque proſequutos fuiſſe contendunt; analogia quoque ex aliorum nervorum originibus ducta, hanc opinionem veriſimilem reddit.

§. 12.

De ipſo huius nervi in hoc itinere cum nervo *acuſtico* et *vago* coniunctione nihil certi ſtatui poſſe videtur. Nunc enim nervus cum pari quinto et ſeptimo in anſam, quae internum latus cruris lateralis amplectitur, confluere videtur; nunc, adeoque frequentius, nervus acuſticus in plures radices discretus, ſub poſtico crure, ſuper quintum nervorum par recta ad cineream ſubſtantiam pergens oculis occurrit.

§. 13.

Restat ut *adminiſtrationem anatomicam* breviter deſcribamus. Cerebri cruribus ante pontem medullae ſpinalis abſciſſis, et remoto a lemnisco epithelio, galea (die Haube) ſupra crus cerebri attollitur, crus ipſum anterius liberatum a crure laterali et poſtico ſolvitur. Deinde poſterius quoque crus liberum redditur. Rebus ita praeparatis illa crurum lateralium particula, quae nervum tegit, a ſuperiori parte in utroque latere ad eum locum usque, ubi nervus e fiſſura emergit, diſcinditur eximiturque; quo facto nervum ad tentorium illiusque flexuram usque proſequi licet. — Si deinde nervi progreſſum in recenti cerebro monſtrare volumus, hoc tegmen pontis ligneo cultro ab exterioribus interiora verſus caute ab ipſo ponte diffringere,

et diffracta fruſtula eximere iuvabit. — Non ignoro, alium quoque, at minus aptum nervi huius progreſſum demonſtrandi modum adhiberi. Meniscus ſcilicet in media linea disrumpitur, galea ſuper ſupremum transverſale ſtratum pontis attollitur, ut tentorium emineat, in quo mox quinti nervi radix invenitur. Illius deinde vagina ab interioribus extrorſum verſus, et a ſuperioribus deorſum inciditur.

§. 14.

Simul atque hac methodo ad nervi usque curvaturam circa crus laterale ventum eſt, crus anterius in eo loco, ubi tria crura coeunt, abſcinditur, crus poſterius elevatur, atque vel extrorſum truditur, vel diſciſſum replicatur. Perfracta deinde externa nervi acustici radice, internam radicem eousque proſequimur, ubi ſub inferiori crure inſeritur. Quo facto totus nervus atollitur, et liberata inferiori illius ſuperſicie, non ſolum illius per ſubſtantiam cineream tranſitum conſpicimus, ſed omnem etiam nervi progreſſum accuratiſſime proſequi licebit.

Sectio secunda

Progreſſus quinti paris nervorum, poſt eius e ponte Varolii exitum.

§. 15.

Cerebro ad utrumque crus reſecto, et elevato tentorio, emergens ex ponte nervus, illiusque in crure progreſſus conſpicitur. Hic nervus autem evi-

denter duabus jam ab origine discretis portionibus conſtat, una minori, majori altera. In hac et ſequenti ſectione de *majori* ſolummodo portione ſermo erit; in quarta ad deſcribendam *minorem portionem* progrediemur.

§. 16.

Simulac maior portio ex ponte egreſſa eſt, pluribus faſciculis conſtat. Purgato autem ab integumentis cerebro manifeſte apparet, haec filamenta neutiquam ex ipſo ponte, ſed e prominente in pontis hiatu globulo emergere, atque tam laxe cum illo cohaerere, ut nervus leviſſimo contactu ab hoc medullari globulo poſſit avelli. Haec vero medulla eſt ipſiſſima cerebralis nervi portio, quae avulſis membranis, partim proprio nervi pondere, partim non evitanda in praeparando nervo tractione, e cerebro protruditur [1]). Id in cerebris alcohole duratis manifeſte apparet: cervicalis enim nervi pars per centralem lineam cerebri ad lineae longitudinem fere prominet. Modum quo nervus hoc in loco in filamenta ſecedit, Bichatus [2]) omnium primus recte indicavit. In meis quoque disquiſitionibus, quas in nervis partim alcohole, partim in acido nitrico, aut mercurii ſublimati ſolutione duratis inſtitueram, in ipſo diviſionis loco mihi apparuit globulus, ex quo filamenta circumcisa oriebantur, ita ut hoc modo

1) Wrisberg l. c. §. 4.
2) l. c. p. 46.

nervus repente craſſior evaderet. Utrum vero iſte globulus, aeque ac bulbus cinereus nervi olfactorii, cui admodum ſimilis mihi videbatur, ſubſtantiam quoque cineram contineat, poſt diligentiſſimas disquiſitiones contendere non auſim.

§. 17.

Inde ab hoc globulo nervus non ſolum tantopere craſſescit, ut omnes alios cerebri nervos robore ſuperet, ſed etiam in plures discernitur funiculos, qui dein conjuncti robuſtiores efformant fasciculos, utpote nevrilemate veſtiti, quo ad hunc usque globulum carebant. Numerus filamentorum, e quibus haec portio coaluit, varius eſſe ſolet. Ego plerumque 80 — 100, raro plura aut pauciora, reperi; NEUBAVERUS 43 — 60, SOEMMERINGIUS 70 — 80 HIRSCHIUS 70 — 90, MEKELIUS 70 — 100 numerant 30 — 40, WRISBERGIUS [1]) in adultis plerumque 36 — 44 et ultra invenit; in foetu contra et tenerioribus infantibus 19, 24, 28 ejusmodi fasciculi aderant [2]). SOEMMERINGIUS [3]) idem obſervavit. Mihi unicum modo octimeſtrem foetum, duosque recenter natos infantes incidere contigit. In quibus has obſervationes confirmatas vidi, in foetu equidem 18, in ambobus infantibus vero 29 — 30 eiusmodi numeravi fasciculos. Res haec

1) l. c. §. 4.

2) v. VESSELINGIUS in obſervationibus N. VIII.

3) De baſi encephali §. 60.

haec, mea quidem opinione, a physiologis hucusque male neglecta est, quamvis magni sit in doctrina de corporis humani formatione momenti. Porro in eodem cadavere magnam inveni in numero fasciculorum in utroque nervo varietatem. — Plerumque nervus inde ab origine ex ponte ad partitionem usque in dextro latere crassior, minor in sinistro deprehenditur [1]), quod quidem primum mihi innotuerat e Wrisbergii [2]), Soemmeringii [3]) Vicq d'Azirii [4]) observationibus. In 26 cadaveribus, quae postea ipse dissecui, 24 vicibus idem observavi, in duobus reliquis sinistra pars praevaluit; aequalem in utroque latere magnitudinem nusquam deprehendi. Quem modo laudavi Wrisbergius [5]) se idem *subinde* observasse asserit. In universum autem diversa solet esse huius nervi in diversis hominibus magnitudo.

§. 18.

Nervus nunc recta antrorsum tendit; inferiora enim filamenta paulo sursum, versus superiorem ossis petrosi angulum assurgunt. Ad hunc usque locum

---

1) Iam Aristoteles idem in animalibus observavit. Vide Monco Essay, on comparative anatomy, in opp. Edinbourg. 1781.

2) l. c. §. 4.

3) l. c. §. 60.

4) l. c. p. 52.

5) l. c. „raro inquit, in utroque latere aequales deprehendi."

nervus undique liber in cranio progreſſus, ab arachnoidea ſolummodo continuata, ſacculo magis quam vagina circumdatus, nunc demum in formatam a dura matre vaginam ſuscipitur. Hoc in proceſſu nervus ovalem figuram exhibet, primum quidem rotundus, ſenſim ſenſimque in latitudinem depreſſus apparet.

§. 19.

Ubi ad ſuperiorem angulum oſſis petroſi ventum eſt, nervus rotundum a pia matre formatum foramen intrat, quod *vaginae* [1]) initium eſt, quae nervum usque ad illius ex ganglio expanſionem recluſum tenet. In adultis hoc foramen 4 — 5 lineas aequat. In ſuperiori oſſis petroſi margine inciſura exiguaque conſpicitur ſpina, quae inferiorem foraminis marginem [2]) efformant. Vagina initio cylindri figuram refert, verſus inferiora autem progrediens, quo magis nervus expanditur, latior planiorque a ſuperiori verſus inferiorem partem apparet. Auctores [3]), qui modum deſcripſere, quo haec vagina formatur, duarum lamellarum mentionem faciunt, in quas a proceſſu clinoideo poſteriori duram matrem dividi contendunt. Re vero accuratius examinata clarum eſt, iſtas laminas duplicatu-

1) Vieussenius omnium primus hanc vaginam deſcripſit, eamque foveolam, vel ſacculum nominat.

2) Albini hiſtoria oſſium. p. 144. Tab. III. Icone n. 2. k. 3.

3) Paletta l. c. Meckel l. c. §. 32 — 33. Hirsch l. c. §. 18.

ram potius eſſe durae matris, quae ſacci inſtar retrorſum ita replicatur, ut cerebralis durae matris ſuperficies in hac vagina nervum tangat; haec autem replicatio, ubi ganglion GASSERI attigit, externa iterum durae matris pagina nervum inveſtit. WINSLOVVII[1]) aſſertum, nervum ibidem per ſinum cavernoſum tranſire, ejusque ſanguine allui, jam ab HALLERO[2]) et MECKELIO[3]) refutatum eſt. His quoque aſſentitur, qui novo hanc rem ſcrutinio ſubjecit PALETTA[4]). Ego quoque tam injectionibus, quam immiſſis ſpecillis, falſiſſimam eſſe WINSLOVVII opinionem, facile mihi perſuaſi. Ceterum una e durae matris lamellis proprium conſtituit ſeptum, quo ſinus ab hoc involucro penitus ſeparatur. At nervus ophthalmicus huic ſepto tam firmiter adhaeret, ut facile, ſi nervum tollas, ſeptum quoque abscedat. Hinc forte natus eſt quem memoravi error. In inferiori lamella durae matris receptaculum conſtituentis, oſſiculum ſeſamoideum conſpicitur, quod RIOLANUS primus deſcripſit, WINSLOVVIUS[5]) nunquam non adeſſe aſſerit; MECKELIUS in unico duntaxat aliquot annorum infante obſervavit[6]).

---

1) Vide ſupra §. 14.

2) diſſ. de vera nervi intercoſtalis origine in diſſert. anatom. Vol. II. Goetting. 1747. §. 10. not.

3) l. c. §. 34.

4) l. c.

5) Vide ſupra p. 27.

6) MECKELIUS l. c. §. 33. Invenitur interdum in lamina durae matris nervo ſubjecta, quae oſſis petroſi hedram

Wrisbergius[1]) illiusque discipuli hoc ossiculum saepissime viderunt; hinc, si non constanter ac perpetuo, plerumque tamen adesse existimat. Institutis a me in hanc rem in decem cadaveribus disquisitionibus, quater ossiculum inveni. Praeterea autem in duobus quae examinavi, semel in dextro, dein etiam in altero latere, inter duplicaturam durae matris, eo in loco, quo iuxta marginem foraminis ovalis introrsum ad efformandam caveam reclinatur, eiusmodi ossiculum tenuissimum et paululum incurvatum reperi, cujus nullam hucusque ab artis peritis mentionem factam esse parum abest quin credam. Wrisbergius certe *diserte dicit, se unquam tale quid in anteriore parte vidisse non recordari.* Nervus in hac vagina versus superiora undique liber est, ut superior paries intacto nervo et incidi et reclinari queat; ex utroque autem latere, et interiora versus laxa cellulosa tela margini vaginae adhaeret, facili nihilominus negotio, et absque cultri intercessu ab ea separandus. Versus inferiora tamen, ubi nervus in ganglii modum expan-

---

superiorem obducit, sub nervi quinti in cavea sua explanatis, in interioribus fibris iuxta clausum ac separatum a cavea nervi quinti paris sinum cavernosum, ossiculum sesamoideum, in latere, quo ossi petroso incumbit, planum, in illo vero, quod nervum quinti paris sibi impositum habet, convexum.

1) Wrisbergius l. c. §. XI. adnot.: Pluries nitidissimum quoddam ossiculum orbicularis figurae, ad cannabis grani magnitudinem nonnunquam superans, in posteriori lamina deprehendi.

ditur, dura mater, praecipue in parte ſuperiori, tam arcte nervo adfixa eſt, ut cultro tantum et vix ſine aliqua fibrarum laeſione ſeparari poſſit.

§. 20.

Secundum ſententiam quorundam anatomicorum, ex quinti paris ramificatione nervi quidam in piam matrem abeunt. Sic ſtatuerunt VIEUSSENIUS[1]), WINSLOVVIUS[2]), inter recentiores autem LIETAUDIUS[3]), LECATUS[4]) ET LAGHIUS[5]) adeoque hos nervos delineaverunt. WRISBERGIUS iterum rem diligenti ſubiecit examini, et in doctiſſima de his nervis diſſertatione falſitatem huius opinionis demonſtravit, quam LOBSTENIUS[6]) quoque ſuſpicatus

1) l. c, p. 171.

2) Traité de la tête No 47.

3) Eſsais anatomiques Paris 1742 p. 434.

4) Diſſ. ſur la ſenſibilité de la dure mère, in Traité de l'exiſtence, de la nature et des proprietés du fluide des nerfs.. Berolini 1760 pg. 176.

5) LAGHI Sulla ſenſitivita, et irritabilita Halleriana, opuscoli di vari autori, raccolti da GIAC. BARTHOL. FABRI. Bologna 1756. part. II. pg. 113. et 333. cnm tabulis aeneis, in quibus et horum nervulorum decurſus illuſtratur Tab. II. N. O.

6) De nervis durae matris Argent. 1772. confer ejusdem adnotat. auctoris ad HALLERI primas lineas phyſiolog. p. 174.

erat, Hallerusque [1]) diserte declaraverat. Ne tamen in hac opinionum diverſitate auctoritatem potius ſequerer quam autopſiam, has quoque partes accuratius inſpiciendas et extricandas eſſe exiſtimavi, in quo quidem examine ſe nunquam pergentes ad duram matrem nervi oculis meis obtulere. Atque ne ulla ſupereſſet de horum nervorum abſentia dubitatio, ſequenti experimento uſus ſum. Per foramen ovale durae matris paucas guttulas acidi nitrici caveae durae matris inſtillavi, idque ſaepius eousque repetii, ut prominens nervus flavesceret. Inciſo deinde canali, totum nervum flavo colore tinctum conſpexi, continuata autem praeparatione nulla in duram matrem prolongata filamenta detegebantur, quae certe ſub hac manifeſta nervi, reſpectu partium reliquarum duritie, in conſpectum venire debuiſſent.

§. 21.

Antequam vero ipſam progredientis nervi ſtructuram deſcribam, ſupereſt vaſorum adhuc, quae nervum in itinere comitantur, hiſtoria, in qua mihi licebit eſſe breviori, quum illorum explicatio a libelli conſilio longius abſit. Ne tamen quidquam aliquo modo cum argumento ejus coniunctum deſideretur, pauca addam, paucisque defungar. Cuius intereſt accuratiorem ſibi iſtorum vaſorum comparare notionem, is

1) Göttingiſche Anzeigen Iahrgang 1758. S. 228. Ait enim in recenſione Libri Laghi, eum falſo arterias pro nervis delineaſſe.

vero adeat MECKELIUM [1]), qui ea diligentiſſime examinavit et deſcripſit, quemque MURRAY [2]) et MAYERUS [3]) ſequuti ſunt. Mihi monuiſſe ſufficiat, pauciſſimas tantum, easque valde exiguas arterias ex arteriis cervicalibus una cum nervo in caveam durae matris abire. Maiores ramos arteria meningea interna emittit. Vieuſſenius omnes fere inde derivabat [4]). Praecipue autem ex carotide cerebrali [5]), ubi in ſinu cavernoſo flectitur, duae veniunt arteriae quae perforato ſepto, in ganglii praeſertim regione ſe dividunt, cum reliquis anaſtomoſes ineunt, et maximam partem ſecundum et tertium nervi ramum comitantur.

Sectio tertia.

De nervi progredientis ſtructura, et de ganglio Gaſſeri.

§. 22.

Hactenus de modo quo nervus, ſimulac ex ponte prodierit, ulterius progrediatur, qualisque appareat, univerſe dictum eſt; acceſſerunt deſcriptiones aliarum partium, quae etſi ad hunc nervum proprie non perti-

---

1) l. c. §. 35.

2) Deſcriptio arteriarum corporis humani. Upſal 1780. p. 18.

3) Von den Blutgefäſsen des menſchlichen Körpers.

4) VIEUSSENIUS l. c. p. 168. Tab. XVI. lit. pp.

5) HALLERI icones anatom. Faſc. I. Tab. VI. lit. e. e.

nent, arcto tamen vinculo cum eo cohaerent. Supereſt, ut nervi ſtructuram, eiusque in progreſſu mutationes accurate exponam. Variae artis peritiſſimorum de hac materia ſententiae, variusque adſpectus, laboris, in quo deſudandum eſt, impedimenta ſatis oſtendunt. Et licet repetitae disquiſitiones variaeque praeparationis et diſſectionum methodi, ad faciliorem cognitionem ſummopere perplexae, quae in hoc nervo obſervatur, ſtructurae aliquid conferant, fateor tamen, multa adhuc ſupereſſe, de quibus iudicium ferre, non auſim. Omnem certe disquiſitionis materiem exhauſtam eſſe nullo modo exiſtimem. Iteratis adhuc experimentis opus eſt, ut nervos tenerasque partes, quae rudiori ſcindentis cultri miniſterio ſe ſubducunt, reagentium chemicorum adiumento ad accuratiorem disquiſitionem praeparare liceat. Non parum quoque lucis accedet ex comparata anatome, quam noſtro aevo ſummo ſtudio excoli quis non laetetur? Mihi ſi aliquo modo de illuſtranda hac anatomiae ſubtilioris parte bene mereri contigerit, nihil certe mihi tribuo, praeter oblatam peritioribus opportunitatem, novam, ni fallor, nervi proceſſum illuſtrandi rationem ulterius proſequendi. Hanc vero disquiſitionem magnopere adiuvabit nova, quam adiunxi, *delineatio*. Nam, quae hucusque in manibus ſunt icones, ne exceptis quidem a WRISBERGIO et PROCHASCA propoſitis, quae optimis adnumerantur, non niſi imperfectam adeoque confuſam exhibent partium, quas repraeſentant, imaginem, ut contendere non dubitem, eas quas adieci figuras, tantum ad na-

turae veritatem accedere, quantum iſtae ab ea alienae ſunt. Neque tamen infitior, in his quoque multa deſiderari, quae ad imaginem prorſus abſolutam requiruntur, cum vel exercitatiſſima artificis manus tenerimam partium texturam, variaque ſibi invicem impoſita ſtrata, qualia in natura occurrunt, exprimere fruſtra allaboret.

§. 23.

Nervus poſtquam in ſuo ex ponte exitu, modo jam explicato in plurimos fasciculos, — quorum ſinguli iterum pluribus conſtant filamentis, — diviſus eſt, primo quidem adſpectu, ab exteriori ſolum parte, ex funiculis parallelis, nulloque invicem nexu cohaerentibus, neque communi tunica veſtitis convolutus eſſe videtur. At res longe aliter ſe habet. Diductis enim a ſe invicem fasciculis, mox retiformis illorum nexus animadvertitur, ita quidem, ut quaedam filamenta, a fasciculo, ad quem initio pertinere crediſſes, ſoluta discedant, aliosque ad fasciculos pergant, eodem prorſus modo, quo anaſtomoſes fasciculorum nervorum brachialium a Reilio [1]) demonſtratae ſunt. Sic nervus aequali trunco ac craſſitie usque ad foramen ovale durae matris pergit, mox autem, ubi foramen ingreſſus eſt, et in anteriori oſſis petroſi ſuperficie deſcendit, planior redditur, et flabelli inſtar (fächerförmig) in latitudinem magis expanditur. — Fasciculi, qui hucusque arcte ſibi accumbebant, ita

1) De ſtructura nervorum Tab. III. Fig. VIII. — XII.

ut ſuperiora ſolumodo illorum ſtrata conſpicerentur, ea nunc ratione, qua nervus explicatur, longius recedunt, atque ita varia nervorum ſibi invicem impoſita ſtrata, in quibus maiores minoresque nervorum funiculi absque certa lege intercurrunt, facile poſſunt diſtingui. Hoc modo fasciculi juxta ſe poſiti ſine manifeſtis anaſtomoſibus progrediuntur; ubi autem duas tresve lineas circiter a glanglio Gasseri diſtant, diverſiſſimis modis in ramos diſtribui, atque anaſtomoſes formare incipiunt. Is vero ramificationis plerumque modus eſt, ut fortior ramus in tres ramulos, hique iterum in novas partitiones abeant [1]). — Quod ad ſingulorum filamentorum anaſtomoſes attinet, conſtantem huius coniunctionis nullam detegere potui legem: modo nervus ad alium migrans novum craſſioremque cum ſocio nervum conſtituit, modo in partitionis loco uterque nervus ita coit, ut quaenam fortioris aut debilioris nervi propago ſit, diſtingui nequeat; alia vice, idque non raro, ſuper hunc plexum rete quoddam expanditur tenuiſſimorum nerveorum filamentorum, quae maximam partem ex vicinis margini fasciculis oriuntur, intumeſcentiae ſe adfigunt, et in duobus tribusve locis radiorum inſtar verſus commune

1) Quaenam ſit ſingulorum nervorum tam in ipſorum plexibus, quam in diverſis organis ramificationum lex et typus, magni momenti quaeſtio eſt, anatomicorum et phyſiologorum ſtudio digniſſima. Inquirendum eſſet, an non plane diverſa in diverſis nervis ratio obtineat, atque ut in plantis aliisque animalibus certae et conſtantes, numerisque exprimendae organorum relationes obſerventur!

centrum pergunt, in quo dein exiguus globulus prominet. Ad hoc autem rete clare conſpiciendum lente vitrea opus eſt, ſicut univerſe in ſcrutanda tenerrima horum organorum ſtructura, microscopiorum uſu ſummopere adjuvamur. Nervus denique, eo quem deſcripſimus modo, in innumera filamenta diviſus, ſemilunari tandem aggeri inſeritur.

§. 24.

Ceterum ad detegendam nervi ad hunc usque locum ſtructuram, artificioſa non opus eſt praeparatione. Reſecto enim cerebelli tentorio, culter, aut tenuioris forficis brachium in anteriori parte obtuſum, in foramen durae matris ovale caute immittitur, canalis in longitudinem aperitur; lobis ad latera reclinatis, aut in ſemilunari intumescentia reſecatis, nervus arachnoidea tamquam ſacco incluſus in conſpectum venit. Haec tunica tunc caute atollitur, atque inciſa ad latus utrumque reclinatur. Optime autem nervi conſpiciuntur, ſi forte, quod non raro accidit, arachnoideae ſaccus aqua turget, unde nervus non ſolum magis patet, ſed collabi quoque impeditur. Idem, quamvis imperfectius, experietur, qui praeparatum limpidiſſimae aquae immiſerit.

§. 25.

Ganglium Gasserii figuram refert ſemilunaris protuberantiae, cuius margo interior retrorſum ab una caveae extremitate ad alteram progreditur, illiusque

limites conſtituit; figura plus minusve orbicularis, haud raro irregularis conſpicitur. Latitudo ab uno apice ad alterum 6 — 8 lineas aequat; quandoquidem, praeſer- in adultis, quorum facies eminentioribus lineamentis notata erat, hoc ganglion magnitudine 9 — 10 linearum inveni. Margo illius concavus poſterior diſtinctis limitibus circumſcribitur, ut nervi plexus ſub illo progredi videantur, nulla cum ganglio coniunctione intercedente, paucis exceptis iisque tenuiſſimis fibrillis, quae ſupra ganglion reflexae, nullatenus autem ganglio, cum uno proxime adiacentibus tribus ramis uniuntur. — Haec autem intumescentia omnino rubellam, corneam pellucidamque ganglii ſpeciem prae- ſe fert. Color magis minusve tinctus, ipſa autem intumeſcentia mollior apparet, quam reliqua nervea filamenta. Iſte tamen color in nervis acido nitrico immiſſis omnis disparet, ganglion ſulphureum reliquorum nervorum colorem aſſumit; idemque in praeparatis mercurii ſublimati ſolutione duratis obſervatur. Repetita ſaepius in aqua lavatio colorem pallidiorem reddere, penitus delere non potuit. — At longe alia eſt horum filamentorum ratio in ſuo ex ganglio exitu, quam in introitu. Poſteaquam enim ganglion vix dimidio lineam ſpatium emenſum eſt, in novas iterum fibrillas ſecedit, absque certa ramificationis lege, ita quidem, ut haec intumeſcentia neutiquam pars aliqua per ſe ſubſiſtens, ſed ex ultimis potius trium ramorum finibus, in ſuo a peripheria ad cerebrum itinere, coaluiſſe videatur, a quibus filamenta a cerebro venientia recipiuntur; atque hoc modo nervi craſſities quater et ultra

augetur [1]). Nova haec, nullaque cum prioribus intercedente ſocietate, ex ganglio orta filamenta, in ramificatione oppoſitum omnino modum ſequuntur; nunc enim tenuiora filamenta in maiora et robuſtiora abeunt, poſt diverſiſſimas, quibus tres nervi ramos invicem iunxerunt, anaſtomoſes.

§. 26.

Quae hucusque dicta ſunt, ad ſuperiorem praecipue nervi ſuperficiem pertinent. Eadem fere eſt nervi in ſuperficie inferiori ſtructura, maior tamen eſt ſingularum fibrillarum, quae ſupra intumeſcentiam decurrunt, quam in ſuperſicie ſuperiori, nulloque cum ganglio iuncturam ineunt. Retiformis quoque distributio obſcurior eſt. Singularis autem eſt in inferiori ſuperficie nervi crotaphytici et buccinatoris apparitio; de quibus in ſequenti ſectione uberius dicetur. Id ſolum addo, reſecto nervo impreſſum iuxta illius longitudinem ſulcum remanere, qui eo praeſertim in loco, quo nervus intumescentiam ingreditur, evidentius conſpicitur.

§. 27.

Qui nunc orti ſunt nervi, modo ſuperius deſcripto, continuum aliquod, linearum circiter, conſtituunt, mox autem in tres ramos principales distribuntur, no-

---

1) Soemmeringius vom Bau d. m. K. B. 5. S. 168. incrementi rationem ut 1 — 6 et ultra aſſumit, quae mihi tamen aequo maior videtur.

vis ſtatim a ſingulorum ramorum filamentis formatis plexibus, ita tamen, ut filamenta a durae matris vagina firmiter incluſa, arctius propiusque ſibi accumbant, quam in ſuperiori expanſionis caſu. Quo propius autem nervorum rami ad foramina veniunt, per quae ex calvaria egrediuntur, eo rotundiora evadunt, quae hucusque plana fuerunt. Haec porro eſt trium ramorum inter ſe invicem ratio. Primus illorum (*r. ophthalmicus*) tenuiſſimus omnium, duas circiter lineas latus; ſecundus (*r. maxillaris ſuperior*) robuſtior eſt, eiusque latitudo 3 — $3\frac{1}{2}$ lineas aequat; tertius ramus (*r. maxillaris inferior*) craſſior ceteris plerumque 4 linearum habet diametrum. Modus autem, quo nervi divergunt, is eſt, ut primus cum ſecundo acutum, tertius autem cum ſecundo minus acutum angulum efficiat, quod in tabula aenea ad naturae veritatem diligentiſſime expreſſum conſpicitur. Vid. Fig. I, b. c. d.

§. 28.

Nervus ubi ex intumeſcentia egreditur, a dura matre, ſicut antea monuimus, tam arcte veſtitur, ut ope cultri anatomici exactiſſimus illius progreſſus oculis exhiberi nequeat; plura enim durae matris filamenta nervorum fasciculis ita ſe inſerunt, ut vel ſuperiori ſtrato quam diligentiſſime praeparato, nihilominus in conſpectum veniant [1]). Imo quaedam nervi filamenta

1) Idem obſervavit WRISBERGIUS l. c. V. Fig. I, b. c. d. §. 19. Hi, inquit fasciculi multis in locis breviſſimis filamentis, ſeptulorum inſtar ſeparantur. Haec vero filamenta ex dura

intimius durae matri ſunt implicita, ut in illius aliquam lamellulam aſcendere, mox autem ad ad nervum, unde venerant, regredi videantur [1]). Ut itaque accuratiſſima efficiatur huius nervi demonſtratio, eum, poſtquam antea in calvaria ſtudioſiſſime a dura matre nudatus eſt, acido nitrico tractare opportet, quo facto reſiduae particulae in meram gelatinam diſſolutae, parvo penicillo facili negotio poſſunt auferri.

§. 29.

Veniamus ad ipſam ganglii Gasserii ſtructuram, de qua inde a longo tempore ab anatomicis disputatum eſt. Plurimi eorum in ſuis circa hanc rem disquiſitionibus, eam praecipuae quaeſtionem agitabant, an nervus ibidem in verum ganglion, aut potius in plexum abeat. Maior eorum pars priorem opinionem impugnat; ob frequentiores tamen a ſolita plexus forma aberrationes, hanc nervi distributionem non niſi certis ſub conditionibus ad plexus referri exiſtimat. Alii verbis magis quam accurata naturae indagatione litem dirimere conabantur. Hinc multiplex orta eſt apud auctores huius partis denominatio [2]), quod liberum

---

matre oriuntur, et in interſtitia horum fasciculorum nerveorum descendunt, illos a ſe invicem distinguunt, et mihi viſa ſunt in inferius durae matris planum, cui nervi truncus incumbit, inſeruiſſe.

1) v. Sömmering Beſchreibung d. m. K. B. 5. S. 168. §. 166.

2) Plexus gangliformis. Vieussenius. Plexus retiformis. Santorinus. Intumescentia gangliaffinis. Scarpa

erat, modo rei veritati non officiebatur. Fuerunt quoque, ſed pauci, qui revera ganglion adeſſe aſſererent [1]), inter quos HIRSCHIUS in primis ſententiam pluribus argumentis confirmare ſtuduit. Ego quidem ſi quid video, tam vaga adhucdum eſt ganglii notio, ut talis controverſia ne moveri quidem debuiſſet. In tanta harum partium ſtructurae obſcuritate, certum ganglii criterium, vix conſtitui poteſt, quo dum caremus decerni nequit, an aliqua organiſationis forma in gangliorum claſſem reponi debeat, aut excludi. At mitto hanc controverſiam, quid ipſe mihi reperiſſe viſus ſim expoſiturus,

§. 29.

Quaenam *externa* ſit huius nervi forma et indoles iam ſupra a me dictum eſt; duae reſtant quaeſtiones. Primum quaeritur, an filamenta per ipſam intumescentiam tranſeant, et novas in itinere propagines emittant? deinde, quaenam ſit maſſae hanc intumescentiam conſtituentis materia et proprietas?

§. 30.

In poſteriori, lato admodum et interiori intumescentiae margine, ſulcus apparet, ab uno marginis

Taenia nervoſa. HALLERUS ad MEKELIUM. Intumescentia ſemilunaris. WRISBERGIUS SOEMMERINGIUS. Agger lunatus. NEUBAVERUS. Armilla. MALACARNE et PALETTA.

1) WINSLOWIUS, GASSERIUS, HIRCHIUS, PROHASKA.

nis fine ad alterum excurrens, et fuscipiendis venientibus a cerebro filamentis idoneus. In nervis longiori tempore acido nitrico tractatis, hic fulcus facile in confpectum venit, fi plexus filamenta intumescentiae laxius adhaerentia verfus fuperiora abducuntur, quo facto in fine fingulorum filamentorum exiguus nodulus bulbis pilorum non abfimilis confpicitur. Quae itaque a fuperiori parte proveniunt filamenta, neutiquam ipfam aggeris fubftantium ingrediuntur, fed potius infident, et ob fulcum, qui adhaefionis modum abfcondit, fpeciem infertionis fimulant. Incifa nunc transverfim intumescentia, atque fimul uno trium nervorum in duas partes aequales divifo, in diffecta fuperficie haec ftructura clarius confpicitur. (Vide in Tab. aenea Fig. 3). Enata ibidem filamenta, eandem, at minus diftinctam habent originem, haud aliter, ac fi intumescentia in has ipfas fibrillas difflueret. Haec porro filamenta firmius adhaerent, neque mihi unquam licuit, ea tam facili negotio ac fuperiora feparare, ita ut fere perfuafum habeam, aggerem lunatum haud propriam, fed ex ultimis trium ramorum in communi foco fociatis finibus conflatam effe particulam. Quum exterius nova filamenta iam in fuperiori et postico margine emergant, intumescentia tenuior ad fpeciem eft, at interiora verfus continuo craffescit. Fines enim fuperiorum ab accedentibus inferioribus filamentis longius abfunt, ut transverfalis fectio cordati folii formam referat.

§. 31.

Haec quidem frequentior forma eſt; non raro tamen varietas occurrit. Intumescentiae enim ſubſtantia tenuis tantum laminae ſpeciem exhibet, qua nervoſi utriusque portionis fines dehiscunt. Bichatus [1]) talem huius partis figuram agnoverat; ſed nimis brevis eſt V. C. de hac re disquiſitio, ut ex eius deſcriptione partis organiſatio recte intelligi vix poſſit. Ceterum hanc meam ſententiam, ſuperiora ſcilicet nervoſa filamenta ab inferioribus prorſus eſſe diſtincta, clariſſimorum anatomicorum, illorum etiam, qui in hanc rem data opera inquiſivere contrariam eſſe probe ſcio. Wrisbergius [2]) manifeſte declarat, trium nervorum filamenta ſuperioris eſſe portionis propagines. Scarpa idem aſſerit [3]). Paletta ait: *nihil fere aliud eſſe videtur, quam reticulum fibrarum validarum, quibus interſperſa vascula ſanguifera ex receptaculo advenientia rubellum colorem inducunt.* Hallerus [4]) quoque hanc opinionem tuetur. Ne itaque praepoſterae disquiſitinis reprehenſionem incurrerem, aut paradoxam ſolummodo opinionem proponere voluiſſe viderer, hanc rem diligentiſſime et repetitis vicibus, tam in hominum, quam in animalium cadaveribus, varioque modo

---

1) Vide ſupra p. 47.

2) L. c. §. 11.

3) Adnotat. anatom. c. 2. §. 29.

4) Hallerus anatom. fascic. IV. p. 37.

dissectis corporibus rimatus sum; meam vero sententiam numquam non confirmatam reperi. Quandoque, in animalibus praesertim, in quibus haec intumescentia vix animadvertitur, filamenta continuo videntur progredi; at post subtiliorem observationem, praecipue oculo lente munito, facile punctum detegitur, quod utramque portionem separat; imo si quoddam superiorum filamentorum attrahitur, id exacte ibidem ab inferiori filamento discedere clare apparet. — Atque hunc combinationis modum, si non omnino, ex parte tamen comparare lubet cum eo, qui inter placentae portiones observatur, quarum altera ad foetum, altera ad matrem pertinet.

§. 31.

Quod ad secundam quaestionem, (§. 29.) ipsam huius intumescentiae naturam spectantem, sequentia mihi notanda esse videntur. Wrisbergius[1]) ait, „hanc intumescentiam convolutionem esse nervosorum filamentorum, quae ex dura matre inseratur, quibus se plurimi arteriarum surculi, mollissimis tunicis facti immisceant". Eadem est Soemmerringii opinio[2]). Paletta[3]) contra, qui filamentis solummodo, in modum zonae, quam *armillam* vocat, intumescentiam circumdatam esse arbitratur, hanc opinionem refutat,

1) l. c. §. 11.

2) Von dem Bau d. m. Körpers B. 4. S. 165.

3) l. c. p. 66.

et intumescentiae a dura matre ortum deducit. — Equidem recentia et diligentiſſime praeparata ganglia acido nitrico parciſſime diluto immiſi, atque una cum tela celluloſa quaedam tenuiora vascula, duraeque et piae matris fruſtulum. Senſim maior acidi copia affundebatur. Elapſo aliquo tempore, omnes partes in gelatinam diſſolutae conſpiciebantur, ſolis nervis exceptis, in quibus intumescentia non minus evidenter, etſi paulo planior apparebat. Atque hoc experimentum manifeſte, ni fallor, ſuperiori opinioni contradicit, docetque, hanc intumeſcentiam ex nervea medulla conſtare, quae tamen in hoc loco aliquam mutationem paſſa eſt, qualis etiam in aliorum gangliorum haud abſimili corticali ſubſtantia deprehenditur [1]). Utrum vero mutatus huius partis color a magno vasculorum ſanguiferorum, quae illam circumdant, numero, an ab albuminoſi principii, quod maximam partem nervos conſtituit, mutatione oriatur, decernere non audeo. Pelluciditas partis eiusmodi mixtionis mutationem indicare videtur. Repetita in aqua lavatio-

1) Quemadmodum ſyſtema circulationis absque oppoſita arteriarum et venarum actione, magnetismus autem, galvanismus et electricitas ſine poſitiva et negativa ſimul energia virium cogitari nequit, ita quoque in ſyſtemate nervoſo requiruntur duo oppoſita, quae in cerebro tanquam ſumma actionis nervoſae evolutione ſub diſtincta ſubſtantiae cinereae et medullaris ſpecie ſeparatim vim ſuam exſerunt. Simile quid in gangliis quoque fieri, dubitari nequit; atque hoc phyſiologico reſpectu ganglion Gasserii peculiarem meretur attentionem.

ne color pallidior quidem apparuit, ſed penitus deleri non potuit. Ceterum, ſi vel omnis color disparuiſſet, non ſequitur, colorem a ſanguine veniſſe; tardius enim pallor ſuccedit, et ſi color etiam huic parti proprius eſſet, aër tamen cum putredinis initiis idem efficere potuiſſet. Graviſſimum autem argumentum aggerem a ſanguine tingi, phaenomenon praebet, quo intumeſcentiam in corporibus exſanguibus et leucophlegmaticis, minus rubere, quam in robuſtis et plethoricis conſtat.

Sectio Quarta.

Progreſſus minoris portionis quinti paris nervorum, ſive nervi crotaphitici et buccinatorii deſcriptio.

§. 32.

Breviori mihi eſſe licebit in hac ſectione, cum otia mihi fecerit celeberrimus Paletta in eximia de *nervo crotaphitico et buccinatore* diſſertatione, quae tanto ſtudio tantaque in obſervando diligentia conſcripta eſt, ut poſt tam largam obſervationum meſſem vix ſpicilegio locus relictus ſit. Optimam certe huius nervi deſcriptionem eum tandem traditurum eſſe credo, qui quam diligentiſſime tam praeclari auctoris veſtigia legerit. Hunc ducem ego quoque ſequar, paucis de varia artis peritorum rem iudicandi ratione praemiſſis.

§. 33.

Omnium primus SANTORINUS [1]) nos ad duplicem huius nervi originem attentiores fecit. Quamvis enim FALLOPPIUS [2]) durum nervum a molli distinxerat, mox tamen addebat, utrumque ex uno eodemque loco oriri. Illius quoque ſucceſſores, WILLISIUS [3]) et VIEUSSENIUS [4]) FALLOPPIUM repetiiſſe, eandem certe cum illo ſententiam amplexi fuiſſe videntur, ita quidem ut immerito hoc inventum WILLISIO vel VIEUSSENIO tribuatur. MECKELIUS [5]) atque NEUBAUERUS [6]) aliter ſentiunt, et nervum raro duabus, plerumque ex unica radice egredi contendunt. HALLERUM eiusdem fuiſſe opinionis, ex illius, quam de baſi encephali dedit, delineatione patet, ubi ſolitaria nervi origo conſpicitur. HIRSCHIUS nullam omnino huius nervi mentionem facit. WRISBERGIO [7]) nova debetur in hanc duplicem originem inquiſitio. Qui illum ſequebantur VICQ D'AZYRIUS, PROCHASCA, MARTINIUS, BICHATUS etc. conſtantem eſſe hanc duplicem nervi originem affirmant. GALLUS in libro ſupra laudato minorem nervi portionem ſilentio praeteriit, ſicut

1) vide ſupra pag. 31.

2) lco. cit. p. 169.

3) l. c. p 118.

4) l. c. p. 169.

5) v. ſ. p. 35.

6) v. ſ. p. 39.

7) v. ſ. p. 40.

etiam in delineatione eius haec portio omiſſa eſt. PALETTA iam ante receptam de duplici origine ſententiam confirmaverat, dilucidavitque ulterius, ut mirandum ſit, HILDEBRANDUM aliosque qui hunc locum tractarunt ſcriptores, quibusque PALETTAE disquiſitio incognita eſſe non potuit, veterem huius nervi deſcribendi rationem retinuiſſe.

§. 34.

Tenuior portio e duabus diſtinctis radicibus luculenter oritur, *ſuperiori* nempe (n. *crotaphitico*), et *inferiori* (n. *buccinatore*). Nervus crotaphiticus naſcitur $1\frac{1}{2}$ — 2 lineis [1]) ſupra quintum nervum, non equidem exacte ex media eius parte, ſed paululum retro crus laterale, ſuper angulo externo anteriori lobi quadrati egreditur. Neque ſemper eadem eſt huius nervi a quinto diſtantia, quae modo minor, modo maior eſſe ſolet. Quandoque nervi ita compreſſi ſunt, ut ex *unica* fiſſura prodire videantur. Poſt accuratiorem autem obſervationem patet, utrumque nervum ſeparatim egredi. Radix horum nervorum in propriam pontis fiſſuram penetrat, atque per illam ad tentorium tendit, poſtea autem ſuper quintum nervum in eadem cum illo linea procedit [2]). Poſteaquam ex ponte prodiit, in tria quatuorve filamenta

1) WRISBERGIUS conſtantem diſtantiam $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ lineae aeſtimat.

2) V. PALETTA p. 68. „Prior faſciculus profundas trahit ab ime ſulco, qui crura cerebelli aſcendentia dirimit a erebri cruribus, aut ſub ea foveola radices, a qua origi-

dividitur [1]), in ſuperficiem quinti nervi recidit, atque in anteriori illius margine ita procedit, ut ob prominentiam ipſum marginem constituat, eo modo, ut nervo quinto inverſo, antequam in poſteriorem ſuperficiem reclinatus ſit, aliqui faſciculorum eius ultra marginem quinti nervi prominentes in conſpectum veniant [2]); nunc autem, antequam ad ganglion emergit, aliquot linearum ab illo diſtantia inferiorem plexus ſuperficiem amplectitur, et nervo buccinatori ſe adſociat. — Nervus buccinatorius ſub quinto nervo ſitus eſt, totusque ab illo tegitur, ut nonniſi reſecto aut reclinato nervo quinto conſpiciatur. Plerumque proxime juxta nervum quintum oritur, ac ſi tenuis tantum lamella intercederet. Hoc tamen ſeptum non raro abeſt, tunc vero cum quinto nervo, ex eadem fiſſura egreditur. Paletta quoque huius nervi a quinto nervo diſtantiam aliquot linearum aeſtimat; mihi tamen haec nusquam tanta viſa eſt, ſed ad ſummum dimidia linea nervos a ſe invicem remotos eſſe obſervavi. Verſus interiora nervus cum quinto recta procedit, et adhuc in ponte, uti videtur, cum illo ſociatur. Sic

---

ginem habet *nervus acceſſorius* Malacarnei ad tertium par tum oblique per medullam pedunculi incedens ex editrori et poſteriori medullae oblongatae parte prodit duabus circiter lineis ſupra ophthalmicum exortum."

1) Wrisberg. Ex tribus craſſioribus, interdum ex quatuor aut tribus minoribus, ex uno vel duobus minoribus conſtabat. Paletta 5 — 6. Wrisbergius l. c.

2) v. Tabula noſtra. Fig. II. a.

etiam iudicat Paletta, praecipiens: „*exortum ducere a columnae medullaris axi*, *ſeu ab intimis cerebri penetralibus.*“ — Eodem auctore hic plexus nervoſus octo faſciculis conſtat; quod vero addit, unum, vel plures funiculos abſentes aliorum robore compenſari, id ſaepius quidem, haud tamen ubique confirmatum vidi. Iam vero nervus in inferiori ſuperficie quinti recta decurrit, usque dum reclinatur, atque cum illo in unum truncum coaleſcit. Juxta Palettae deſcriptionem haec coniunctio plerumque ſub ganglio demum locum habet. Mihi contra haec nervorum coniunctio, ubi crotaphiticus inferiorem ſuperficem amplectitur, occurrit. — Sociatus nunc nervus crotaphiticus et buccinator, ſuperficiem plexus quinti nervi oblique transgrediuntur, et una cum tertio illius ramo foramen ovale oſſis ſphaeroidei ſubeunt. Palettae in hoc progreſſu nervos quaſi a ſe diſtinctos videtur deſcribere. In quo erraſſe crediderim V. D. Semper enim nervi, poſtquam copulati fuerunt, tam arcte connexi inveniuntur, ut filamenta unius ab alterius fibrillis, aut utrumque nervum absque ſumma violentia ſeparare non liceat, uterque vero nervus tanquam unius trunci radix compareat. Atque haec portio in toto progreſſu a quinto nervo ſeparata permanet, exceptis paucis filamentis, quae in omnibus fere, quae examinavi nervorum exemplaribus, a nervi quinti plexu huic portioni inſerebantur, ut hosce duos nervos deſtruere, quam ſeparare facilius fuerit. In quibusdam praeparatis haec conſociantia filamenta omnino defue-

runt, minor portio nullam cum maiori coniunctionem inibat, et leviſſimo contactu ab illa divellebatur. Nonnumquam quaedam filamenta, quae ex plexu aſcendunt, et tenuioris portionis ſuperficiem retis adinſtar amplectuntur, plexuique adhaerent, nullatenus autem inſeruntur. Atque in eodem loco, ubi nervus ſupra ganglion incedit, bulboſa plerumque intumeſcentia in conſpectum venit, quae tamen non raro deeſt, et cum ipſo ganglio nequaquam ſociatur. Poſteaquam nervus ſub ramo maxillari inferiori foramen ovale oſſis ſphaeroidei intravit, cum ramo tertio quinti paris unum plexum efformat, grandiorque evadit. SANTORINUS[1]) putat, nervum ibidem verum ganglion efficere. Nunquam vero eiusmodi formam mihi detegere licuit. Filamenta huius portionis duriora ſemper eſſe ſolent, quam filamenti quinti nervi. Ea etiam plerumque albidiora eſſe, PALETTA[2]) aſſerit. Attamen hoc diſcrimen non manifeſtum eſt, forte etiam oculorum illuſione nititur.

Quae ulteriorem huius nervi progreſſum ſpectant aliena ſunt a meo propoſito; id ſolum addo, me repetitis etiam deſſectionibus eam, qualem auctor ſaepe laudatus in primisque laudandus deſcripſit horum nervorum ramificationem, ſemper et ubique obſervaſſe.

---

1) v. ſ. p. 32.

2) LUDWIG adnot. ad SOEMMERRING de baſi exceph. in ſcriptor. neurolog. T. II. p. 84.

EXPLICATIO TABULARUM.

TABULA TITULO SUBIECTA.

Fig. A. Nervi quinti paris truncus et rami ope perſpicilli viſi a parte ſuperiori, ut modus, quo fibrillae intertexuntur appareat.

Fig. B. Nervus quinti paris cum crotaphitico et buccinatorio a parte inferiori delineati, ad oſtendendum modum, quo horum fibrae cum tertio quinti paris uniuntur.

TABULA LIBELLO ADIUNCTA.

Fig. I. Repraeſentat nervum in omni ipſius per cerebrum progreſſu usque ad poſteriora crura; extra cerebrum autem ad eum usque locum, quo e cerebro emergit. In ſiniſtro latere eius progreſſus conſpicitur usque ad locum, ubi a concurſu trium cerebri crurum tentorium formatur, nervus autem primo ſubſtantiam cineream ingreditur; in dextro latere nervi extra cerebrum iter, eiusque ſub poſteriori crure cerebelli progreſſus cernitur.

Crura cerebri ſupra pontem reſecta ſunt; cerebellum, ubi eius crura ipſius ſubſtantiae inſeruntur, ſeiunctum eſt, ut area libera evaderet; lemniſcus (die Schleife) ab epithelio ſolutus, et omnia cerebelli crura liberata.

1. Crura cerebri reſecta cum galea.

Retro apparet eminentia quadrigemina in ſtatu naturali.

2. 2. Progreſſus crurum cerebri ſuperne ſpectatus.

3. Lemniſcus ab epithelio ſolutus.

4. 4. Crura lateralia cerebelli.

5. Areae.

6. Crus cerebelli anterius. Verſus ſuperiorem regionem nervus ſub lemniſco compreſſior emergit, infra autem magis extenſus. — A dextro latere haec pars inde a ſuo ſub lemniſco exitu reſectus eſt.

7. Crus poſterius in ſiniſtro latere a verme (Wurm) et anteriori crure quod transgreditur ſolutus, et ad latus reclinatus; in dextro latere ſolutus, naturali ſitu elevatus, et paulo in latus retractus apparet.

8. Medulla prolongata.

a. Quintus nervus in transitu per pontem. Crus laterale usque ad nervum inciſuram habet, ut nervi progreſſus in conſpectum prodeat. Exterius aliqua adhuc plexus particula conſpicitur. Ubi nervus ex laterali crure emergit, magis compreſſus eſt, poſtea eum taeniae ſimiliorem in hoc latere usque ad eum locum proſequi licet, ubi in tentorio in poſteriorem partem reclinatur. In hoc decurſu longitudinales nervi fibrae clare conſpiciuntur. Ubi lemniſci apex, externus anterioris cruris margo, interior margo cruris lateralis et quintus nervus coeunt, particula cinereae ſubſtantiae ibidem prorumpentis et ab epithelio nudatae cernitur.

b. c. d. Tres rami praecipue quinti nervi, illorum angulis juxta naturam divergentibus; b. ramus primi, c. secundi, d. tertii. Supra illos retiformis nervorum expansio, posteaquam ex ganglio egrediuntur, et antequam in ramos secedunt. Clare cernitur, quo modo nervi ex intumescentia sensim oriantur, dum interea fines fibrillarum, a plexu venientium, quae superne inseruntur, acute notati sunt. Id in fig. 3. adhuc clarius apparet.

e. e. Posterior acutus margo intumescentiae.

f. Fissura in collo cruris lateralis, ex quo maior nervi portio oritur. Mox supra illam minor conspicitur fissura pro superiori radice minoris portionis, illiusque itinere, usque dum versus inferiorem nervi superficiem reclinatur.

g. g. Progressus quinti nervi sub crure posteriori. In medio circiter interioris superficiei paulo ad latus reclinati cruris lateralis alia fissura conspicitur, externae exeunti quinto nervo destinatae fissurae e diametro opposita, ex quo nervus versus posteriorem partem iterum emergit, atque nunc in cinerea substantia sub posteriori crure progreditur.

h. Nervus acusticus, totus molli vagina vestitus. Haec ibidem vagina ab interiori parte versus exteriorem retracta est, ita ut particula illius, ex quo nervus resectus est, remanserit.

i. Nervus durus.

k. Nervus octavus.

Fig. II. Poſtica nervi facies. Superne prope iuxta cerebrum, inferius autem, ubi ex calvaria egreditur, reſectus eſt. Delineatio iuxta eundem nervum facta, cuius ſuperiorem ſuperficiem fig. I. expreſſit.

a. Nervus crotaphiticus.

b. Nervus buccinatorius.

c. Locus ubi n. crotaphiticus retro inclinatur.

d. d. Poſterior acutus margo intumeſcentiae, ubi plexus filamenta retro ſuper illam replicatae clare conſpiciuntur.

e. Ramus ophtalmicus.

f. Ramus maxillaris ſuperior.

g. Ramus maxillaris inferior.

Fig. III. Sectio transverſalis nervi. Nervus in medio ſecundi rami ita diſſecabatur, ut duae eſſent aequales illius partes. Delineatio fere ultra dimidium grandior eſt, ut res magis inclareſceret.

a. Filamenta nervi ex cerebro venientia.

bb. Canaliculus intumeſcentiae, cui filamenta ſuperne venientia inferuntur.

c. Filamenta ex intumeſcentia recenter orta.

Fig. IV. *Ganglion* GASSERI remotis filamentis. In medio diſſectum eſt ad monſtrandum transverſae ſectionis adſpectum. Addita eſt haec figura, ad magis illuſtranda, quae in deſcriptione ſubobſcura videri potuiſſent, loca nonnulla.

QUAEDAM
SPHALMATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 52. l. 11. *retrorum* l. retrorſum.

ib. in fin. pag. *crotaphytici* l. crotaphitici (ſic ſemper legendum).

ib. *buccinatoris* l. buccinatorii.

pag. 53. §. 4. l. 3. *ac curatiorem* l. accuratiorem.

pag. 54. l. 14. *neurolema* l. neurilema.

pag. 65. not. 1. MONCO l. MONRO.

pag. 64. not. 5. *ſenſitivita* l. ſenſibilità.

pag. 80. not. 1. l. HIRSCHIUS et PROCHASKA.

A